J. Holdsworth

ENCHIRIDION ETHICUM,

Præcipua
MORALIS PHILOSOPHIÆ
RUDIMENTA
complectens,

Illustrata utplurimum Veterum Monumentis, & ad Probitatem vitæ perpetuò accommodata.

Per *HENRICUM MORUM*
Cantabrigiensem.

Editio secunda: Cui accessit Autoris Epistola ad V.C.

CICERO Tusc. Quæst.
O vitæ Philosophia dux! O Virtutum indagatrix, expultrixque vitiorum! Unus dies bene & ex præceptis tuis actus peccanti Immortalitati est anteponendus.

LONDINI,
Excudebat *J. Flesher*, venale autem habetur apud *Guilielmum Morden* Bibliopolam Cantabrigiensem. MDC LXIX.

Ad Lectorem.

NON eſt quòd diu te morer, amice Lector, præfandi causâ; quanquam iterum te prorſus inſalutatum præterire non debeo, niſi etiam tum cùm de Moribus ſcribo, ipſe malè moratus videri velim. Quod igitur in pleriſque meis ſcriptis feci, ut intelligat utique Lector quæ Occaſio, quis Scopus, quæque tandem Ratio ſcribendorum ſingulorum fuerit, idem in præſenti hoc Opuſculo breviter faciendum putavi.

Quàm invito & reluctanti animo hoc quicquid eſt operis aggreſſus ſum, ipſi nôrunt qui me ad illud aggrediendum tantâ contentione ſtimulârunt. Multa enim obſtabant quò minùs vel vehementiſſimis ſæpiúſque iteratis illorum efflagitationibus me paſſus ſim vinci. Unum, Quòd is ſum qui non multum tribuere ſolebam hujuſmodi aridis & ſtrigoſis Moralis Philoſophiæ Syſtematis, quæ meris Definitionum & Diviſionum γομαχίαις contra ſolidum Vitium ac Turpitudinem præliari pertendunt. Vitium enim Virtute ſolâ debellandum putabam; Virtutem autem veram vivámque doceri non poſſe, ſed per Fidem in Deum ex Deo vivo viviſque illius Oraculis eſſe haurien-

dam. Divinum enim quendam ſenſum ſubeſſe oportere; quem qui habet & fovet, nec eum ſciens volénſque violat aut vulnerat, quid in quaque re honeſtum ſit vel turpe quaſi ſuâ ſponte tandem facilè dijudicaturum: Qui verò hoc ſenſu deſtituitur, quantumvis inſtructiſſimus ſit omnimodis Virtutum Diſtributionibus & Definitionibus, eum nunquam tamen ad veram Virtutem perventurum, neque, cùm nondum ſeipſum exuerit, noſciturum quid ſit vera Virtus, nec fortaſſe crediturum quòd quicquam omnino ſit præter inane nomen. Quo monſtrorum genere (proh dolor!) hâc ætate omnia ferè loca opplentur.

Alterum erat, Quòd amœniſſimis quibuſdam ſtudiis tempus animúmque recèns addixeram, à quibus me tam derepente avelli admodum ægrè ferebam; præſertim cùm poſt labefactatas & areſactas vires ex nuperis quibuſdam laboribus, iiſque paulò ſolito ferventioribus, harum novarum ſpeculationum leni roſcidâque aurâ mirificè me recreari perſentiſcerem & permulceri.

Poſtremum, Quòd ſupervacaneam fore putabam hanc operam, cùm Vir quidam, prout ipſi nôrunt, præſtantiſſimus doctiſſimúſque abſolutiſſimum *Opus Ethicum* de primaria illa Quæſtione circa *immutabiles Boni Malique rationes* jam meditaretur; quod brevi in lucem proditurum

turum me ſperare dicebam. Hæc ego adversùs ipſos urgebam ſtrenuè.

Illi verò contrà Maximi fore momenti reſpondebant, ut nunc ſunt tempora, ſi quis iſtiuſmodi *Rudimenta Ethica* concinnaret tam luculento ordine diſpoſita & deducta, ut omnium Præceptorum ratio cuivis facilè pateſceret: Hoc enim eſſe præſentis ſeculi ingenium, ut Cauſas rerum omnium repoſcant, Mentémque humanam ad nihil obligari contendant præterquam Rectam Rationem. Hujuſmodi Opus tam affabre confectum magnopere oblectaturum probos, Divinóſque illos animi ſenſus, quibus fortè deſunt, feliciter ingeneraturum.

Amœniora illa porrò ſtudia quod attinet, deponi ea poſſe ad tempus, & poſtmodum reſumi: nec privatæ cujuſvis voluptati utilitatem publicam poſthaberi debere.

Quantum denique ad præſtantiſſimi illius Viri Lucubrationes; quamvis ſat ſcirent accuratiſſimas eas fore & ampliſſimas, incertum tamen eſſe, propter multifaria illius negotia, quando finiendæ, quando mandandæ ſint Typis: Sed & uno ferè illo Argumento paulò ſuprà nominato circumſcribi. Se verò *Syſtema Ethicum* deſiderare; nec tamen juſtum Volumen, ſed *Enchiridium* potiùs, Librum parvum, portatilem, & Tyronibus erudiendis non inidoneum.

Ad hunc ferè ſenſum multa ultro citróque

disseruimus. Quibus tamen tunc temporis me nullatenus victum persensi nec vulneratum; optimóque jure factum iri putabam, si nullo prætextu ab eis studiis revocari me paterer ex quibus tantam voluptatem percipiebam, virésque animi juxtà ac corporis eis indulgendo tam mirificè recreari sentiebam & refici. Nec credibile tunc existimabam me ullis machinis hoc posse dimoveri loco. Cùm tamen die postero (En humanorum consiliorum incertitudinem!) multo manè post somnum in lecto jacens, harúmque rerum memoriam apud meipsum recolens, idem ego, qui pridie externa illa jacula tam fortiter repuli, internis conscientiæ aculeis confossus statim succumbo. Hoc enim inter alia acriter animum momordit atque ussit meum; Quòd nisi nunc, cùm tanto voluptatis impetu aliò rapior, me ad opus hoc (in quo spes saltem aliqua publici commodi effulget) continuò accingerem, certus esse non possem quin ad omnes illos quos hactenus in scribendo exantlavi labores *Jucundi* potiùs ratio quàm *Honesti* me perpetuò instigâsset, nec tam veræ Virtutis fructus essent quàm scripturientis cujusdam Cacoethis effectus. Adeò ut illud ipsum quod me antè revocabat maximè, nunc violentissimè omnium impelleret ad præsens hoc opus suscipiendum. Quóque ingratius videbatur, eò obstinatiùs aggressus sum, ut planiùs

mihi

mihi ipsi de propria mea sinceritate constaret. Verùm enimvero, ut ingenuè fatear quod res est, postquam semel totius operis ambitum animo meo delineaveram, (quod brevissimo feci spatio,) partémque illius absolveram, adeò mihi arridere atque adblandiri incipiebat Institutum, ut, quanquam quædam accidebant in medio cursu quæ aliàs me violenter retrahere potuissent, non possem tamen tunc desistere ab Incepto, nec à calamo manum abstinere, donec inchoatum Opus finiverim. Et, ut nihil dissimulem, hoc etiam currenti calcar addidit, quòd putabam minimè dedecere hominem qui primis & potissimis Naturalis cujusdam Theologiæ fundamentis jaciendis operam tam gnaviter impenderam, demonstrando utique *Deum existere*, *Animámque humanam esse immortalem*, etiam tertiam hanc partem de *Vita* atque *Moribus* hisce jactis Fundamentis superstruere. Hæc fuit Occasio.

Scopus autem, non Scribentis, (is enim est quem dixi, propriæ scilicet conscientiæ pensum ut absolvam,) sed ipsius Scripti, idem est qui debet esse omnium Scriptorum Ethicorum, Humanæ nimirum Vitæ emendatio. In eo enim errore plerique versari videntur, ut Systemata Ethica ad inutiles tantummodo Quæstiunculas ventilandas constitui debere arbitrentur, *Moralémque disciplinam* (quod ait *Cicero*) *Ostentatio-*

tationem Scientiæ, non Legem Vitæ, putent. Cùm tamen verus ac genuinus Scopus Moralis Philosophiæ sit, ut ex illius Præceptorum lectione & meditatione Animus humanus amore Virtutis inflammetur, ut ad Virtutem perpetuò anhelet, ut Virtutem denique assequatur, cúmque ipsa Virtute veram ac solidam Felicitatem.

Ex hoc fonte igitur, quod ultimo loco occurrit, petenda est tota hujus Scripti ratio. Per *rationem* enim non intelligo Methodum sive *Synthetícam*, sive *Analytícam*, sed totius Operis Formam atque Ingenium; quod ità comparatum spero, ut feliciùs & certiùs dictum scopum attingat quàm pleraque alia hujus generis Scripta. Quanquam quod ad illam propriè dictam Methodum attinet, nullatenus eam neglexi, tametsi tam severiter & restrictè ea in re me habendum non putavi. Semper tamen, quoad memini, quod clarius est præcedit, quódque obscurius sequitur. Quod unum omnium ferè Methodorum summam in se complectitur.

Quòd autem non omnia corrasi & congessi quæ ad *Systematis Ethici* integritatem videri poterant pertinere, in eo Prudentiæ indultum est, cùm hâc compendiariâ ratione me citiùs finem assecuturum sperarem, quàm si hisce efficacissimis maximéque necessariis documentis etiam ea quæ minùs sunt efficacia accumulâssem. Itaque ea ferè selegi quæ aliquem calorem in se habent

habent atque ſtimulum ad Virtutem. Quem certè illa habent maximè quæ ex intimo vivóque animi noſtri ſenſu & experientia depromimus, non quæ ad alienorum Scriptorum exemplum excudimus externâ quadam arte atque imitatione. Qualia perpauca hîc occurrunt præterquam *Carteſiana* illa de Paſſionibus, * quas ex profeſſo ad mentem *Carteſii* perpetuò ferè definio pariter & diſtribuo. Cæterùm ea Ethicæ pars purè ſpeculativa eſt, ità ut nihil hinc damni ſummo noſtro ſcopo poſſit accidere.

* Lib. 1. cap. 6.

Quanquam verò hîc proprios animi mei ſenſus intimáſque Emanationes quàm maximè deſcribere ſtatuebam; nè quid tamen ipſis vel ornamenti vel autoritatis deeſſet, non ſolùm verba, ſed & ſententias Veterum, in locupletius rei teſtimonium, frequentiſſimè adhibui; ut indè planiùs conſtaret, in hac ſcribendi libertate me extra cancellos non tranſiliiſſe, nec tam innovâſſe quicquam in Morali Philoſophia, quàm *puram illam atque antiquam quaſi poſtliminiò revocâſſe.*

Siquis verò fortè me cumulatiùs hoc feciſſe & copioſiùs contendat quàm opus erat, equidem non multùm renitor. Fateor enim me omnem prenſitâſſe occaſionem exponendi ante oculos Chriſtiani Orbis ſanctum illum Virtutis ſenſum, qui etiam Ethnicorum animis tam altè inſedit, quém-

quémque per divinas illas voces atque sententias quas literis mandârunt tam luculentè testati sunt, ut meritò nos Christianos pudeat, è nobis tam paucos esse qui aut tam justè vivere deprehendimur, aut tam sapidè loqui; quinimò eousque cæcutiisse, ut Virtutis tum rem tum nomen, quasi datâ operâ, proculcemus & aspernemur tanquam vile quiddam & profanum, Barbarisque Gentibus relinquendum. In quo tamen non tam Nationibus exteris insultamus, quàm crassam nostram ostentamus ignorantiam.

Est enim vera Virtus Divinæ quædam Naturæ participatio. Unde & præcipua Christianæ Religionis pars est jure merito existimanda. Quanquam enim *nominibus* differunt tria illa quæ toties in sermone hominum occurrunt, *Virtus*, *Gratia*, & *Divina* (quæ dicitur) *Vita*; siquis tamen in ea penitiùs introspexerit, re prorsus reperiet idem. Vocari verò hanc Animi perfectionem *Dei vitam* quatenus *viva* illius in nobis imago est, non levis & superficiaria Virtutis notio & imaginatio, sed solidus potiùs pervicáxque rerum pulcherrimarum sensus & amplexus: *Gratiam* autem, quatenus gratuitum Dei donum est: *Virtutem* denique, ut quæ vis quædam Animi est quâ Passionibus corporeis ità dominamur, ut in re quaque constanter prosequamur quod absolutè optimum est, quemadmodum eam in subsequenti Tractatu definivimus.

mus. Quod sanè monuisse operæ pretium censebam, ut fœdo ac pernicioso quorundam errori hîc occurrerem, qui, exsulante *Probitate*, *Divinam* tamen *Vitam* domi se putant posse retinere, & sub prætextu *Gratiæ Virtutem* ejiciunt foras.

Datum è Museo, pridie
K. *Maii*, Anno Salutis *H. M.*
MDCLXVII.

De

De Secunda hac Editione ad Lectorem Præfatio.

1. NE plus fortè me rearis, amice Lector, in hac Secunda Editione præstitisse quàm revera præstiti, quid à me in ea præstitum sit paucis tibi enarrandum censui.

2. Primò igitur, nullis novis sententiis rerumve notitiis novam hanc Enchiridii nostri Editionem ornavi vel locupletavi, quanquam Libri primi Capita numero plura hæc tibi exhibet quàm prior illa Editio. Quartum enim Caput in duo, septimum in quinque distribui; ut crebrior daretur legentibus interspirandi & meditandi opportunitas; & ex distinctis Titulis sive Argumentis, quæ singulis Capitibus præfixi, aliquantò facilior distinctiórque oriretur rerum præceptarum intelligentia.

3. Secundò, Græcè quæ occurrunt omnia Latinè reddidi; non quidem tam aridè & jejunè, vel, quod alii mallent appellare, tam accuratè, ut verbum verbo perpetuò respondeat, sed laxè magis quoad voces, & Paraphrasticè aliquando; verum quoad sensum fideliter semper satisque restrictè & circumscriptè. Hanc enim interpretandi rationem Instituto nostro accommodatiorem fore putavi-

tavimus, ut qui ex Grammaticorum Criticorúmve minutiis nullam gloriam aucupamur, ſed ubique ſic loqui ſtudemus, ut per ſermones noſtros in animis hominum, quantum poſſumus, amorem Veritatis Virtutiſque accendamus. Porrò, ipſos Textus Græcos, nequid eorum oculos offendat qui Græcè neſciunt, ex Enchiridio *tollendos ferè perpetuò curavimus, & ad illius calcem rejiciendos, Interpretamentis ſolummodo contenti.*

4. *Tertiò denique, Tametſi nihil novi in hac Secunda Editione ipſi Tractatui ingeſſimus,* Epiſtolam *tamen noſtram* ad V.C. *illi ſuperadjiciendam ſtatuimus, tanquam ad Secundi Libri Caput* de Pietate *non incommodam Appendicem. Ità enim comparata eſt hæc noſtra* Epiſtola, *ut non ſolùm idonea ſit ad faciliorem* Carteſianæ *Philoſophiæ intelligentiam* Introductio, *ſed ad id omne quod in ea nocere poſſit incautis, Pietatémve lædere, ſatìs tuta Præmunitio &* Præcluſio.

Duæ autem potiſſimùm ſunt Concluſiones in iſta Philoſophia à quibus maximum Pietati impendet periculum. Quarum una eſt, Quòd illa ipſa Materia ex qua Mundus conſiſtit non poteſt non exſiſtere quoquoversùm indefinitè extenſa: *quippe quòd indefinita illa Extenſio, quam nos animis noſtris expungere nullo pacto poſſumus quin exſiſtat, neceſſariò juxta mentem* Carteſii *ſit corporea. Quam Opinionem, quanquam in hac præſenti leviter tantùm perſtrinximus, in prima tamen noſtra ſecundâque*

que Epiſtola ad Carteſium *fusè ſolidéque refutavimus.*

5. *Et certè vel ex uno hoc argumento quod jam occurrit à Terræ motu deſumpto cuivis conſtare poterit, cui ingenium nec tardum eſt nec magnis præjudiciis obſeſſum, hanc exſiſtendi neceſſitatem non quidem extenſæ Mundi materiæ, ſed alteri alicui immateriali Extenſioni, competere. Nullarum enim Speculationum in univerſa Philoſophia (nè ipſâ quidem Matheſi acceptâ) animo ſcientiâque magis ſum compos quàm hujus unius quam nunc eo propoſitum. Corpus Telluris annuo ſuo circuitu Ellipticum quendam annulum certis ſemidiametris à Sole undiquè diſtantem deſcribere, in confeſſo eſt apud omnes melioris notæ Philoſophos. Jam verò cùm nulla Figura niſi in aliqua Extenſione deſcribi poſſit, nec in externa Mundi materia, Vortice putà quo defertur Terra, hæc deſcriptio fiat, (neque enim tranſit per partes Vorticis, ſed cum ipſo Vortice certâ à Sole diſtantiâ circumvehitur;) planè ſequitur eſſe Extenſum quoddam interius intra quod jacet totus Vortex, in quo circuitus hic Ellipticus per corpus Terræ deſcribitur, Extenſúmque hoc interius immobile eſſe, totúmque in eo Vorticem moveri. Atque hoc denique illud eſſe Extenſum cui ſoli illa exſiſtendi neceſſitas competit, ut quod ſive mens ſive imaginatio noſtra nullis machinis è rerum Univerſitate exturbare novit vel exterminare, ſed quòcunque pervolvitur, animus*

in-

incidit vel invitus in hanc immobilem Extensionem.

6. *Unde porrò sequitur, si* Cartesium *audire velimus, qui toties nobis inculcat illud Dictum,* Nihili nullam esse affectionem, *quòd immobilis hæc atque necessaria Extensio sit etiam Essentia quædam sive Substantia. Quæ cùm corporea esse non possit, ut quæ Corpus sive Materiam ubique penetrat, relinquitur ut sit Incorporea sive Spiritus, vel, si malles, immensi cujuspiam Spiritûs amplitudo. Cùm verò necessitas existendi nulli rei præterquam Deo soli competere potest, oportet immensam hanc Amplitudinem, quam deprehendimus necessariò existere, non aliam esse quàm ipsam Divinam in qua vivimus, movemur & subsistimus.*

7. *Quæ si ità sint, rectâ quadam Methodo planéque demonstrativâ pervenimus tum ad* Aristotelis Motorem primum immobilem, *quem ille appellat* τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον, *tum ad* Anaxagoræ νοῦν ἀμιγῆ, *hoc est,* Mentem impermixtam. *Nam hinc clarè constat primam omnium motuum Physicorum originem esse immobilem, Numénque Divinum non solùm quatenus Mens est Materiæ esse impermixtum, sed etiam quatenus Vis quædam movens universam Mundi materiam. Immensum enim hoc Extensum immobile non circumtorquetur cum innumeris istis circumactæ Materiæ Vorticibus; nec ità coalescit Deus cum Mundano corpore, (quemadmodum fit in particularibus Animalibus,) ut ipse simul aliquò cum illius motu abripiatur;*

piatur; ſed illi tantùm aſſiſtit, & ſublimiori quadam magiſque ſuſpensâ Magiâ Materiæ particulis debitos motus formáſque imprimit.

8. *Atque hæc ità ſanè ſint per me licet, qui ità à natura comparatus ſum ut nihil revera eſſe concipere poſſim quod omni caret Amplitudine. Neque equidem eorum hominum ſubtilitatem quicquam moror, qui, ex eo quòd Subſtantia definiatur* Ens per ſe ſubſiſtens, *concludere volunt, Aliquas dari poſſe Subſtantias quæ nec ipſæ extenſæ ſive amplæ ſunt, nec ad aliud quodvis extenſum ullam habere poſſunt relationem vel habitudinem, nempe, quòd in definitione Subſtantiæ nulla iſtiuſmodi rerum fit mentio. Hæc enim ipſorum conſidentia planè oritur è rerum Dialecticarum Metaphyſicarúmve imperitia. Quòd ſi quis eò ſuam curam intendere velit & cogitationem, ut rationes illas univerſaliſſimas omnibus rebus competentes, quas Dialectica vel Metaphyſica tractat, penitiùs intelligat, inveniet tandem omni omnino Enti quatenus Ens eſt aliqualem competere amplitudinem; nec id magis mirum videri debere, quàm quòd materia rebus omnibus competat. Quod certè niſi eſſet, Cauſa illa quæ* Materia *dicitur à Dialecticis tractari non poſſet.*

9. *Ut rem igitur comprehendam brevi. Quemadmodum omne id quod fit è quatuor Cauſis oriri intelligitur,* Efficiente, Materiâ, Formâ, & Fine; Efficiens *verò &* Finis externo *duntaxat*

respectu *rem attingunt*, Materia & Forma *ipsam* Essentiam *rei constituunt: ità id quod constituitur, ut ratione Efficientis* Effectum *dicitur, ratione* Finis Destinatum, *sic ratione* Materiæ & Formæ, *quæ totam* Essentiam *continent*, Essentiatum *rectè, etsi haud ità politè, dici potest, vel* Essentiam habens, *quod id ipsum est quod* Ens. *Unde* Ens *quatenus Ens* Materiam *aliquam in se complectitur. Quæ, obsecro, quidnam esse potest nisi Amplitudo generalissimo modo sumpta, cùm nihil præter eam hâc ratione mentibus nostris possit obversari?* Materia *igitur* Logica *vel* Metaphysica amplitudinem *aliquam generalem cogitationibus nostris obvertit:* Forma *verò* distinctionem *sive differentiam hujus Amplitudinis infert, idque innuit quo amplitudo ab amplitudine intimè discriminatur. Atque hæc sunt duo illa* Entis *quatenus Ens est* Principia incomplexa; *non* Essentia & Exsistentia, *ut quidam imperitè arbitrantur.*

10. *Neque me illud movet quod quidam hîc proni sunt oggerere; Exinde utique consequi, nihil omninò esse in rerum Natura quod in partes revera discerpi non possit. Satis enim scio totum id ex pura puto præjudicio esse profectum, quòd toties in quotidiana vita res extensas diffringi viderimus & dissecari. Mentem verò* Vacuum *imaginari* Expansionem *illam in qua volvuntur Vortices ætherei, ex eo nasci tur, quòd soliditatem essentiæ cujusque ex ea vi æstimare solemus quâ afficere potest nostros*

sensu

ſenſus externos. Alioqui vel ex ſententia Carteſii *immobilis illa Amplitudo in qua omnia neceſſe eſt moveri ſtatim deprehenderetur. Eſſentia quædam realis, quam tamen diſcerpi poſſe omnibus animorum humanorum facultatibus planè repugnat. Unde manifeſtum eſt quòd* Indiſcerpibilitas *&* Amplitudo *in uno eodémque ſubjecto optimè poſſunt conſiſtere.*

II. *Verùm id fieri poſſe in rebus creatis ſi quis confidentiùs negaverit, is homo profectò reus læſæ Divinæ Omnipotentiæ jure merito cenſebitur, ut qui ea omnia Divinæ poteſtati non tribuit quæ nullam involvit contradictionem ipſi tribuiſſe. Quid enim? Annon poteſt Deus ad ſuiipſius ſimilitudinem ſubſtantiam unam per ſe perfectéve ſimplicem creare? Ea verò ſubſtantia quæ eſt per ſe una, & non per aliud, ut revera ſimplex eſt, nec ex ullis partibus Phyſicè diſtinctis compoſita & coagmentata, ità in nullas diſcerpi à quoquam poteſt, nec Phyſicè dividi.*

Neque ego quicquam moror eorum voces qui hîc clamitant eas ſaltem à Deo poſſe divelli, quódque id niſi concedamus, læſæ Divinæ Omnipotentiæ noſmetipſi ſumus iterum agendi rei. Nam ſi quid per ſe & immediatè unum creaverit Deus, annihilare quidem poteſt, repugnat tamen idem eum poſſe diſſecare; propterea quòd ex eo ſolo quòd eſt unum eſt, per ſe, *non* per aliud quicquam *quo Eſſentiæ amplitudo conglutinetur & quaſi compages fiat*

multarum rerum, non una res atque ſimplex; eodémque modo ac neceſſitate partes cohærent quo Proprietates eſſentiales cum Subjecto, quæ cum eo extingui quidem poſſunt, nec tamen realiter ab ipſo diſtingui vel ſeparari. Cujus nulla ratio reddi poteſt, niſi quòd per ſe & immediatè Subjectum ſit tale ex illa ipſa Idea juxta quam illud creavit Deus.

12. *Quamobrem cùm Amplitudo ſive Extenſio æquè latè patet ac ipſa rei cujuſvis Eſſentia, non continuò ſequetur, ſi vel invitis nobis ante Mentis oculos ſemper oberret Idea quædam indefinitæ undique Extenſionis tanquam neceſſariò exſiſtentis, quam nullo modo animo noſtro excutere poſſumus nec deponere, quòd hæc corporeæ alicujus Materiæ ſit Idea, quódque illi proinde exſiſtendi neceſſitas competat; ſed potiùs Ideam eſſe Omnipræſentiæ Divinæ obſcuriori quodam modo repræſentatæ, cui* ſcimus *neceſſitatem exſiſtendi competere. Ex eo verò quòd quid extenſum ſit, inferre ſtatim quòd etiam moveri poſſit, quòd diſcerpi in partes, quòd nullum aliud extenſum poſſit penetrare, & in univerſum pertendere quòd in unaquaque Idea aliquod primum Attributum ſit eſſentiale à quo cætera omnia neceſſariò poſſint deduci; lepidum ſanè quiddam eſt & ingenioſum, ſed in quo nulla ſolida eſt rationis cohærentia vel ſequela. Videntúrque mihi qui ſic philoſophantur, ex eo quòd primos Logicæ fontes ignoraverint in tam immundas lacunas incidiſſe, vel, quod pejus eſt, Fines;*

Vsúſ-

Usúsque rerum è speculationibus Philosophicis etiam datâ operâ excluſiſſe.

13. *Nos verò, qui ſcimus omnia à Deo Optimo Maximo creata eſſe, ignorare non poſſumus, cùm à tam benigno ac ſapienti Principio proficiſcantur, Rationes Ideáſque rerum omnium à* Fine, *à quo &* Bonæ *appellantur, omnino eſſe petendas. Eſt enim, quod obiter monendum cenſui, res quælibet, à* tota collecta diſtinctâque *à cæteris eſſentia* Una, *à* Forma *verò præcipuè* Vera, *& à* Fine *denique* Bona, *nominata Quæ præclara ſive* Metaphyſicæ *ſive* Dialecticæ *Theoremata planè innuunt, Attributa rerum inſeparabilia non ab uno aliquo principali in ipſis eſſentialique Attributo aridâ quadam ac Mathematicâ certitudine & neceſſitate derivari, tanquam ſi ipſo poſito reliqua neceſſariò ſequerentur virtute illius ſolius Attributi, atque ità hic fons eſſet ille eſſentialis à quo reliqua omnia Attributa immediatè fluerent; ſed Eſſentiam ipſam à Deo ſic creatam fontem eſſe immediatum omnium ſuorum eſſentialium & inſeparabilium Attributorum, quorum ratio nulla diſtincta peti poteſt ab* ipſa Eſſentia, *ſed à* Fine ſolo *Divinâ mente concepto, quò collineant omnia illa Attributa quæ inveniuntur inſeparabiliter ineſſe alicui Subjecto.*

Neque enim unum quicquam eſt præter hunc Finem, *quo res* Bona *fit, à quo rationes Attributorum ipſius deduci poſſunt, vel ad quod queunt ultimò reduci ab ipſóve menſurari. Quod itaque Princi-*

pium τὸν ἄνω ἀρχὴν *appellat alicubi* Ariſtoteles: *& rectè ſanè, cùm & ipſum florem Divinitatis, quod* Platonici τὸ ἀγαθὸν *nuncupant, tam manifeſtò videatur attingere, redolere, ſpirare. Sed in hac prima Concluſione excurſum eſt ultrà quàm inſtituì.*

14. *Altera illa* Carteſii *quæ Pietatem videtur minùs ſapere Opinio hæc eſt*, Omnia ſcilicet Mundi Phænomena, nè Plantis quidem Organicíſque Animalium corporibus exceptis, oriri poſſe ex Principiis merè Mechanicis, nimirum ex Motu ſolummodo locali ac Materia; neceſſariáſque eorum omnium cauſas ac rationes ab iſtis fontibus poſſe deduci. *Quam maleſanam ſententiam multis certè in locis in hac ipſa Epiſtola itidem perſtrinximus. Verùm unicâ tantùm Inſtantiâ (de Striatarum ſcilicet formatione & motu) eam aggreſſi hîc ſumus operoſiùs refutare. Nec mirari debes quòd in re tanti momenti uno contentus eſſem argumento, cùm tam multa ſuppeterent. Nam in aliis meis Scriptis tam claris & perſpicuis Demonſtrationibus rem confeci, ut ſuperfluum forè putarem in hac iterum Epiſtola eidem ſtudio inſudare. Eas autem intelligo Demonſtrationes quas adhibui in* Libris adversùs Atheos, & De Animæ Immortalitate: *Qualis eſt illa quam deſumpſi ab inſigni illo Experimento magni Antliæ Pneumaticæ Suctori appenſi ponderis, ab cóque, ob extruſum aerem quaſi ſpontè aſcendente, ſurſum ſubvecti; Alteráque à Deſcenſu Gravium petita.*

petita. Quibus denique addas aſcenſum Laminæ ligneæ rotundæ fundo Situlæ, aquâ impletæ, ferè æqualis & ſolutæ. Quæ Phænomena omnia cùm ſimpliciſſima ſint, tantum tamen abeſt ut eorum ratio aliqua purè Mechanica reddi poſſit, ut communibus Mechanicæ Legibus planiſſimè repugnent: quemadmodum apertè in prædictis illis Tractatibus de duobus prioribus, de ultimo alibi, demonſtravimus.

15. *Cùm igitur in Phænomenis tam ſimplicibus, tam undique nudis, támque facilè animo noſtro comprehenſibilibus perfectéque perviis, adeò miſerè hallucinetur hæc nimiùm nunc dierum decantata* Philoſophia Mechanica, *quàm furioſa, obſecro, ſpes eſt, & inſana pollicitatio, omnium eorum quæ in Mundo apparent, etiam quæ maximo & intricatiſſimo conſtant artificio, cauſas purè Mechanicas quenquam poſſe excogitare? Quod mihi non abſimile videtur illius impudentiæ & temeritati, qui, cùm duorum ſcamnorum naviculam in portu evertiſſet, gloriabatur tamen ſe in* Euxino Ponto Argonautarum *navem poſſe gubernare. Quemadmodum ſcitè juxtà ac ſolidè ſua in cauſa ratiocinatur apud* Ciceronem L. Craſſus.

16. *Quod verò ad me attinet, in ea ſum ſententia, quòd non ſolùm intricatiſſima illa Phænomena ex Principiis purè Mechanicis explicari non poſſunt, ſed quòd nulla. Quanquam ex immodico quodam amore ac ſtudio erga* Carteſium *in hac Epiſtola aureas aliquot catenas nexu purè Mechani-*

eò cohærentes ipſi conceſſerim. Nunc verò (quod tamen nullâ animi levitate aut inconſtantiâ feci, ſed rationum pondere eò preſſus,) mutavi ſententiam, donúmque revocavi. Neque enim quiſquam eſt, opinor, qui animum habet nullo præoccupatum præjudicio, qui non mallet Principium ubique unum & homogeneum agnoſcere, quàm aliis atque aliis in locis diverſum totóque genere diſſonum. Ac proinde cùm certus eſſem quædam Phænomena ex Diviniori principio originem traxiſſe quàm quod purè Mechanicum eſt, eò id animum inclinavit ut crederem ex eodem itidem fonte cætera omnia profluxiſſe. Deinde, σύμφυσις *illa, ſive* Phyſicarum Monadum *in quaſlibet particulas Coaleſcentia, videtur ſanè res quæ omni modo Mechanico prorſus ſit inexplicabilis. Poſtremò, ſi vel prima Mundi Rudimenta ex iſtiuſmodi tornationibus facta ſint & raſuris quales fingit* Carteſius, *tanta profectò reperiretur Elementi ſubtiliſſimi copia, ut etiam ſupra Saturni Orbitam regurgitaret. Atque haſce rationes obiter hoc modo ſubindicâſſe ſatis ſit, cùm hîc non ſit illis immorandi locus, ſed eas tantummodo breviter notandi.*

17. *Cæterùm cùm eo ſim animo ut nulla Phænomena per univerſum Mundum purè Mechanica admittere poſſim, neceſſariò conſequitur ut* Cauſarum Finalium *indagationes in* Naturalem *etiam* Philoſophiam *introducendas eſſe perlubenter ſtatuam. Quod quidem facere hominem Philoſophum*

ità

ità condecere putabam, ut, quòd è ſua eas ſuſtulerit Carteſius, *honeſtæ cuidam aſtutiæ imputare maluerim quàm ulli ipſius ignorantiæ tam ſolidæ veritatis. In quo ſiquid ſim lapſus, id certè humanitati meæ potiùs tribuendum eſt quàm ulli ad officiosè mentiendum vitioſæ proclivitati. Quod verò meipſum ſpectat, equidem cenſeo* Finalis cauſæ *perveſtigationem* jucundiſſimam *eſſe* Naturalis Philoſophiæ *partem*; *addo &* utiliſſimam, *tum ad alias res, tum præcipuè ad Pietatem verámque Religionem, quâ nihil præſtabilius, nihil ſuavius aut dulcius, nihil denique perfectius à Deo immortali hominibus datum eſt.*

18. *Quamobrem ſiquis eſſet, ſive cæco aliquo Fato pulſus, ſive propriâ commotus arrogantiâ, qui jactaret ſe poſſe omnia Mundi Phænomena ex cauſis purè Mechanicis deducere, hoc eſt, illuſtriſſima omnia ſolidiſſimáque Divinæ Exſiſtentiæ argumenta quaſi uno ictu Naturæ rerum præcidere, cùm tamen nè ſimpliciſſimi cujuſlibet Phænomeni cauſas quiſquam purè Mechanicas revera poſſit proferre; annon homo hic perquam ridiculum ſe præberet omnibus Spectaculum? Annon ſubſannandum (dicam, an atrociùs inſultandum?) ſe diis hominibúſque propinaret? Hic utique eſt ille Mundorum Mechanicus conditor, qui tamen nè lapidis quidem cujuſlibet deſcenſum è rationibus purè Mechanicis explicare novit. Hic*

ille

ille Naviculæ duorum ſcamnorum in portu everſor, qui tamen dignum ſe ſomniat qui præficiatur Argonavi. *Hic eſt ſtupendus iſte Sciolus, qui Mundorum condendorum ſcientiam ſibi mavult arrogare, quàm ut quis è Mundi conditi Phænomenis ſolidam Dei ſcientiam hauriat.*

19. *Nos verò interim, dum hæc canitur cantilena, quid nos faciemus, qui ſumus hujus tanti Artificis tam miſelli, tam humiles, tam ſubmiſſi, tam timidi, tam ſtupidi denique támque undique ſuperſtitioſi admiratores? quibus religio eſt non piè credere omnia Mechanicè fieri poſſe ex eo ſolo quòd hic ità fieri poſſe dixerit; cùm tamen hæc fides parem ferè vim ad impietatem habet ac ſi revera ità poſſint fieri: qui malumus eſſe ſerviles alieni ingenii admiratores quàm religioſi laudatores imperſcrutabilis Sapientiæ Dei quæ ex ipſius operibus effulget: Quid nos, inquam, faciemus? Imò verò quid ego, qui non multùm abſimilem Architectum, magnum illum* Carteſium *intelligo, tantis támque immenſis (tum in hac Epiſtola tum ubique Scriptorum meorum) laudibus cumulavi?*

20. *Méne verò quid ego faciam rogas? Equidem dicam. Niſi ad exitum jam perducenda eſſet hæc noſtra Præfatio, longum de novo viri tam ingenioſi hîc pertexerem Encomium. Nec continere me poſſum, quanquam in has conjectus anguſtias, quin breviter profitear quàm elegans ille mihi Scrip-*

Scriptor videtur, quàm concinnus, quàm acutus, & (quod rei caput eſt) quàm perſpicuus & diſtinctus, uſque adeò ut hanc diſtinctè de rebus corporeis cogitandi vim ab eo nactus ſatis maturè præviderem hâc viâ rem ſuccedere non poſſe, ſed hunc eximium meum cogitandi Magiſtrum in eo ipſo maximè falli quod ille tamen mihi videbatur deperire maximè; hoc eſt, Non diu erat cùm clarè deprehenderem, contrà ac ille ſtatuit, è Cauſis purè Mechanicis omnia Phænomena non poſſe deduci.

21. *Ad quod profectò ſubſultabat mihi animus præ gaudio, cùm ex ea Philoſophia,* Mechanicam *intelligo, quæ Religioni omnium truculentiſſimè ſemper mihi viſa eſt minitari, de eis rebus quæ ad Religionem ſpectant multò factus eſſem confirmatior. Quódque tam immenſis laudibus Philoſophiam* Carteſianam *extuli, eo conſilio feci, ut alii id ipſum, quod ego expertus ſum, ipſi mecum poſſent experiri, eiſdémque armis (ab hoc utique armario deſumptis) omnium* Mechanicorum Atheorum *confidentiam contundere & comprimere. Audactérque pronuncio, neminem eſſe qui illam Philoſophiam plenè perfectéque intelligit, quin clarè perſpiciat,* omnia Univerſi Phænomena in rationes purè Mechanicas reſolvi non poſſe.

22. *Quòd verò* nulla poſſunt, *id tardiùs ipſe conſecutus ſum, ob nimium meum erga* Carteſium *ſtudium atque amorem; omnéſque hortor qui ſeriò phi-*

philoſophari velint, ut, abjectâ omni perſonarum admiratione partiúmque ſtudio, totis nervis contendant ad illam quam nos tam fideliter in hoc Enchiridio *deſcripſimus* Prudentiam moralem; *ut puro ſic animo ſimus ac defæcato, omnibúſque præjudiciis ſoluto, ut recollecto denique in Divinam mentem & ſubducto, cúmque ea (prout monebant* Pythagorei) *perquam arctè counito eíque penitus ſubjecto, ut comprehendamur quaſi ab ipſa, ſtabilíque virium influxu ab ipſa ſemper dirigamur. Paralytica enim & veluti luxata eſt omnis humana Ratio quam Divino ſuo flatu non informat ac gubernat Deus: Aliquídque ſanctius & Divinius ipsâ Ratione adeſſe oportet, facémque illi præferre, niſi eam velimus perpetuò nos inducere in iſtiuſmodi angiportus & labyrinthos, è quibus aut turpiter aliquando pedem referre cogemur, aut æternis erroribus defatigari.*

23. *Intelligis tandem, amice Lector, quàm opportunè & utiliter hanc noſtram ad V. C. Epiſtolam huic* Morali Enchiridio *adjecimus, quámque inconſultum fuiſſet non arripuiſſe hanc occaſionem explicandi propoſitum meum in ea ſcribenda, paritérque enarrandi correctiora animi mei ſenſa eiſdem de rebus de quibus in ea ſcripſi. Quod utique, quanquam etiamnum magni facio* Carteſium, *ejúſque ingenium laudo, quòd in immediatas rerum cauſas corporeas tam veriſimiles inciderit, quódque Syſtema illud Mundi antiquum &* Pythagori-

goricum *Philoſophiæ ſuæ tam eleganter intexuerit, eóque nomine ipſi* Ariſtoteli *eum antepono: tamen in eo, quòd* Cauſas Finales *exſulare velit è* Naturali Philoſophia, *eundem* huic *viciſſim antepono* Ariſtotelem, *ut qui* Fines *rerum in Naturæ Phænomenis toties urget premítque. Quòd verò tam acriter contendit* Carteſius *omnia Mundi Phænomena ex ſolis cauſis Mechanicis explicari poſſe, id totum explodo, ut quod Pietatem minùs ſapere videtur, ſolidæque, ſat ſcio, adverſatur Veritati.*

Librorum

Librorum Capita ſive Argumenta.

LIBRI PRIMI

CAP.

Pag.

I. *Quid Ethica.* 1

II. *De Partibus Ethicæ, déque Beatitudine.* 3

III. *De Virtute in genere, déque Rectâ Ratione.* 9

IV. *Noemata quædam ſive Principia Intellectualia, in quæ omnis ferè Ratio moralis reſolvitur.* 16

V. *Quòd datur aliquid ſimpliciter & ſuâ naturâ Bonum, quibúſque id demum Facultatibus deprehenditur & percipitur.* 24

VI. *De Paſſionibus in genere, déque earum Utilitate.* 28

VII. *De Paſſionibus, in ſpecie, propriè dictis.* 37

VIII. *Paſſionum Uſus & Interpretatio; primóque* Admirationis *cum ſua Claſſe, & reliquarum quinque Primitivarum Paſſionum.* 46

IX. *Uſus & Interpretatio Paſſionum quas ſecunda Claſſis complectitur,* Amoris *ſcilicet &* Odii. 53

X. *Paſſionum tertiæ Claſſis, quas* Cupiditas *ducit, Uſus & Interpretatio.* 55

XI. *Interpretatio & Uſus Paſſionum quartæ Claſſis, quam conſtituunt* Gaudium & Triſtitia. 58

XII. *Quòd*

XII. *Quòd propriè dictæ Paſſiones omnes in ſe bonæ ſunt, quódque ex ipſarum Interpretatione conſtat aliquid eſſe ſuâ naturâ Bonum & Malum; & quæ tandem ſit illa natura ſive eſſentia Boni Malique.* 67
XIII. *De reliquis Paſſionibus, ſive Impreſſionibus corporeis.* 72

LIBRI SECUNDI

CAP.

I. *De Virtutum Primitivarum numero.* 80
II. *De prima Virtute Primitiva, Prudentia.* 85
III. *De reliquis duabus Primitivis Virtutibus, Sinceritate & Patientia.* 90
IV. *De prima trium Principalium Virtutum Derivativarum, Juſtitia, ídque in genere.* 97
V. *De Pietate.* 101
VI. *De Probitate, ſive de Juſtitia propriè dicta.* 107
VII. *De reliquis duabus Principalibus Virtutibus Derivativis, Fortitudine & Temperantia.* 112
VIII. *De Virtutibus Reductitiis.* 116
IX. *De Mediocritate illa in qua Virtus conſiſtit; déque vera hujus Mediocritatis menſura.* 127
X. *De Bonis Externis.* 139

LIBRI

LIBRI TERTII

CAP.

I. *De Libero Arbitrio.* 156

II. *Objectiones duæ præcipuæ contra Liberum Arbitrium proponuntur, & diluuntur.* 157

III. *Theoremata acquirendis Virtutibus in genere inſervientia.* 165

IV. *Quæ Virtutum Primitivarum acquiſitioni inſerviunt.* 179

V. *De tribus Virtutibus Principalibus Derivativis acquirendis.* 183

VI. *De Virtutibus Reductitiis acquirendis; primóque de eis quæ reducuntur ad Juſtitiam.* 191

VII. *De Virtutum acquiſitione quæ ad Fortitudinem reducuntur.* 197

VIII. *De acquiſitione earum Virtutum quæ reducuntur ad Temperantiam; déque Divini Amoris excitatione.* 200

IX. *De acquiſitione Bonorum Externorum.* 205

X. *De Bono illo Externo, Summo Æternóque, ad mentem Philoſophorum.* 217

ENCHI-

ENCHIRIDION ETHICUM.

CAP. I.

Quid Ethica.

ETHICA eſt Ars bene beatèque vivendi.

1. Per *Artem* intelligo Methodicam comprehenſionem Præceptorum homogeneorum: ac proinde cùm *Ars* quam hîc tractamus *Ethica* ſit, oportet omnia Præcepta eſſe verè Ethica, ad ejúſque finem aſſequendum rectè conducere; alioqui non eſſent *homogenea*. Unde nulla Præcepta hîc exſpectanda ſunt quæ inutili diſputationi, ſed ea ſola quæ vitæ rectè inſtituendæ inſerviunt.

Dico, *bene beatèque vivendi*; Quoniam *bene* quis vivere poteſt, quamvis non adeò uſq; *beatè*. Quos humanæ vitæ ſtatus rectè *Pythagorici* etiam diſtinxerunt. Aliud enim eſt, juxta illorum doctrinam, *ſecundùm naturam perfectum eſſe*, aliud, *ſecundùm vitam*.

2. *Naturâ* autem *perfecti ſunt* qui Virtute præditi ſunt. *Eſt enim Virtus*, prout illi definiunt, *uniuſcujuſque naturæ ſummitas & perfectio*. Hos autem vocant μόνως ἀγαθὸς, i. e. *duntaxat bonos*,

non beatos. *Vitâ verò perfecti sunt, qui non solùm boni, sed beati etiam exsistunt.* Definiunt enim *Beatitudinem* Perfectionem vitæ humanæ; Vitam autem humanam, σύςαμα τῶν πράξεων, *Actionum humanarum comprehensionem* vel *congeriem*; Quarum successus cùm à Fortuna dependeat, nemo potest esse vitâ perfectus sine bonis Fortunæ. *Perficiunt enim actiones Virtus & Fortuna simul: Virtus quidem quoad usum, bona verò Fortuna quoad successum,* ut rectè & solidè concludit *Hippodamus Thurius.*

3. Cui consonat etiam sententia *Archytæ* definientis *Felicitatem* χρᾶσιν ἀρετᾶς ἐν εὐτυχίᾳ, *Virtutis usum cum prospera Fortuna.* *Euthyphemus* denique rem egregiè triplici hâc similitudine illustrat: *Quemadmodum vincit Imperator virtute & fortunâ, Gubernator feliciter navigat arte & vento secundo, Oculus rectè cernit* ὀξυδορκίᾳ *(visûs acumine) & luce; ità Vita humana optima est & per virtutem ipsam & per bonam fortunam.* Quibus omnibus accedit etiam *Aristotelis* autoritas, qui *Externa bona* ad perfectam Beatitudinem requirit: Quæ, tametsi absolutè in nostrâ potestate non sunt, tamen, cùm quæ in *Ethica* traduntur (ut suo loco patebit) ad ea acquirenda non mediocrem vim habeant, rectè ad *Ethicam* aliquo modo pertinere censentur. Etenim quantumvis fine suo aliquando & *Nauta* & *Medicus* excidant, nemo tamen negabit quin *Artes* sint & *Medica* & *Nautica.*

CAP.

CAP. II.

De Partibus Ethicæ, déque Beatitudine.

1. ETHICÆ Partes duæ ſunt, *Beatitudinis Cognitio*, & *Acquiſitio*. *Cognitio* continet doctrinam de natura Beatitudinis, earúmque rerum quas illius natura aliquo ſaltem modo attingit vel complectitur. Unde in hac prima Parte præcipuè agendum erit de *Virtutibus* & *Paſſionibus*, poſtremóque de *Bonis externis* nonnihil addendum.

2. *Beatitudo eſt voluptas quam animus percipit ex ſenſu Virtutis rectéque* (*& ad Virtutis normam*) *factorum conſcientia.* Itaque

Ad perfectam Beatitudinem conducit *Bonorum*, quæ vocantur, *externorum* aliqua ſaltem mediocritas.

Beatitudinem hîc definio per *Voluptatem* potiùs quàm per ἐνέργειαν ſive *Operationem*, quia ex communi omnium ſententia *Beatitudo* cenſetur *maximum optimúmque Bonorum humanorum.* Id autem non poteſt eſſe *optimum maximúmque* quòd alterius ſit gratiâ; *Operatio* autem eſt *Voluptatis* gratiâ, unde & ipſa *operatio* (utì notat *Ariſtoteles*) accenditur & augetur, nempe, quòd tanta & tam grata voluptas exſpectatur ex ipſa operatione, tanquam illius qualiſcunque effectus. *Ethic. Eudem. lib. 1. cap. 7.*

3. Præterea, ut propiùs ad rem accedamus, *Voluptas* hæc, per quam *Beatitudinem* definio, conſideratur tanquam flos, ſummitas & perfectio

fectio ipsius operationis secundùm Virtutem, quæ præstantissima est vita. In omni enim vitali functione Voluptas perficit operationem, quemadmodum testatur Philosophus, tanquam internum aliquod illius complementum. *Voluptas verò perficit actiones, ipsámque adeò vitam quam cupiunt*, &c.

Ethic. Nicom. lib. 10. cap. 4.

Tertiò, Cùm omnibus animalibus sua propria sit voluptas, quæ planè deprehenditur summa esse ipsorum Beatitudo; pari ratione fatendum erit Beatitudinem humanam in humana consistere voluptate: Ea autem est quæ ex Virtute percipitur.

Quartò, Omnes ferè mortales, tam Philosophi quàm Idiotæ, *Beatitudinem* in *Voluptate* ponunt, prout ipse notavit *Aristoteles: Felicitatem verò omnes arbitrantur voluptatem esse, & cum voluptate vivere, aut saltem non sine voluptate.* Et in *Eudemiis*; *Qui revera beatus est jucundissimè vivit, neque sine causa hoc homines arbitrantur.* *Beatitudinem* denique in *Rhetoricis* definit *Vitam cum securitate jucundissimam.* Immo ipsi Theologi cœlestem Felicitatem per non-interruptum gaudium & lætitiam depingunt.

Magn. Moral. lib. 2. cap. 7.

Eudem. l. 7. cap. 15.

Rhetor. l. 1. c. p. 5.

4. Quintò, Ex ipsa definitione *Voluptatis* liquet eo ex genere esse *Beatitudinem.* *Est enim voluptas ex statu præternaturali ad propriam naturam uniuscujusque restitutio.* Plenus autem Virtutis sensus ac possessio est conversio sive restitutio hominis ab eo quod est contra ad id quod est secundùm suam propriam naturam. Omne enim Vitium, quamvis sit brutis (juxta *Trismegisti* sententiam) naturale & congenitum,

Magn. Moral. lib. 2. cap. 7.

est

est tamen revera contra naturam humanam. *Rationali enim animali* (quemadmodum ait *Marcus* Imperator) *eadem actio est quæ est secundùm naturam, & quæ secundùm rationem.* Rationi verò omnis repugnat Vitiositas. Quòd autem è contrà Virtus sit naturalis & congenita humanæ naturæ, ex eo constat, tum quòd Anima humana rationalis sit, (quod jam innui) tum etiam quòd Justitia seu perfecta Virtus, juxta sapientiam θεοπαράδοτον sive *divinitùs traditam*, sit immortalis, peccatúmq; mortem in mundum introduxerit. Nam quòd status Justitiæ futurus erat æternus, planè arguit eum maximè esse naturalem, ac proinde restitutionem in illum statum propriam nostram intimámque esse voluptatem. Τῶν εἰς ἑαυτὸν lib. 7. cap. 11.

5. Postremò, Appetitus animæ seu desiderium non fertur in objectum quatenus cognoscibile, sed quatenus bonum, seu gratum & congruum, aut saltem quatenus confert ad id quod maximè gratum est & congruum, hoc est, maximè jucundum, & quod summo gaudio & voluptate animum implet. Unde suprema Felicitas non simpliciter ponenda est in Intellectu, sed propria illius sedes ἐν τῷ ἀγαθοειδεῖ τῆς ψυχῆς, *in facultate animæ Boniformi*, est statuenda; nempe, in ea facultate quâ sapimus id quod simpliciter & absolutè optimum est, eóque unicè gaudemus. Quæ quidem facultas valde affinis illi parti Voluntatis est quæ fertur ad id quod absolutè est optimum, quando utique inextinguibili siti & affectu rapitur ad tam gratum objectum, illúdque obtinens ineffabili gaudio ac voluptate perfunditur.

6. Qui igitur agit ſecundùm hanc facultatem, agit κατὰ τὸ κράτιστον vel κατὰ τὸ θειότατον τῶν ἐν ἡμῖν, *ſecundùm præſtantiſſimum* vel *ſecundùm Diviniſſimum eorum quæ in nobis ſunt*; quod neceſſarium eſſe ad Beatitudinem innuit ipſe *Ariſtoteles*. *Nunc verò ſive hoc mens ſit,* (inquit ille) *ſive aliud aliquid, quod ſecundùm Naturam videtur imperare & præeſſe, ac notitiam habere eorum quæ pulchra & Divina ſunt, ſive ipſum etiam Divinum exiſtens, ſive eorum quæ in nobis ſunt Diviniſſimum, hujus certè operatio ſecundùm propriam virtutem perfecta illa cenſenda eſt Beatitudo.* Ubi videtur Philoſophus ambigere *Intellectus* ſit, an alia aliqua facultas, (quæ tamen ſenſum habeat τῶν καλῶν καὶ θείων, *pulchrorum & Divinorum,*) in cujus propria operatione vera Beatitudo conſiſtat. Ille verò poſtea deflectit ad *Intellectum*, ſummámque felicitatem ponit in Contemplatione intellectuali. Quæ tamen Felicitas *moralis* eſſe non poteſt, cùm non pertineat ad omnes homines, ſed Philoſophos duntaxat, Phyſicos, Mathematicos, Metaphyſicóſve.

Ethic. Nicom. l. 10. cap. 7.

7. Ponenda igitur eſt Beatitudo in *Boniformi facultate*; tum quòd illa Facultas ſumma ſit & diviniſſima, eundémque ferè ordinem teneat in Anima quem *Platonicorum* τὸ ἀγαθὸν [Bonum] in Divino Numine; tum etiam quòd cultus illius facilè apud omnes homines inſtitui poſſit & perfici. Non eſt enim ſupra captum vulgi ſincero amore Deum proximúmque proſequi: Quæ quidem Summa eſt hujus Felicitatis, (adjectâ Prudentiâ vitæque puritate,) éáque proprius *Boniformis facultatis* fructus: Quem nè fortè

quis

quis contemnat, audacter dicam & liberè, nullam majorem felicitatem *Divino hoc amore* nobis obvenire posse nec in hac vita nec in futura. Sed de his alibi opportunior dabitur dicendi locus.

8. *Quam animus percipit ex sensu virtutis.* Est enim aliqua voluptas honesta, quam & *Aristoteles* vocat *puram & liberalem voluptatem*, eósque falsè deridet qui contrà sentiunt. *Qui verò nullam* (inquit ille) *admittunt voluptatem esse honestam, similes illis sunt qui, ignorantes quid sit Nectar, deos vinum bibere opinantur, utpote quo nihil ipsi nôrunt jucundius.* *Nicom. lib. 10. cap. 6. Magn. Moral. lib. 2. cap. 7.*

9. Dico autem Voluptatem hanc *ex sensu Virtutis* oriri, nè quis fortè fructum Virtutis æstimaret ex imaginaria illa Virtutis cognitione, quæ per nudas Definitiones acquiritur. Quod perinde est ac si quis naturam Ignis æstimare vellet ex igni in pariete picto, qui ad abigendum hybernum frigus nullam omnino vim habet. Omne vitale bonum (ut ità loquar) vitâ sensúque percipitur & judicatur. Estque revera Virtus vita quædam intima, non externa aliqua figura, nec externis oculis conspicienda. *Si hoc unquam fuisti, etiam ipsum vidisti*, præclarum est *Plotini* monitum: Si ipse transformatus sis in hanc Virtutis vitam, tum demum internis sensibus illius pulchritudinem voluptatémq; percipies, mirabilésque sui amores in te excitabit, & ineffabili gaudio animam tuam perfundet. Verùm usque donec ipse hunc statum assequutus fueris, experrectâ demum *Boniformi animæ facultate*, necessum erit ut aliis expertis credas. Neque

uſpiam opportunius occurrit celebre illud *Ariſtotelis* dictum quàm hoc ipſo in loco, *Oportet diſcentem credere.* Alioqui, ſi ex proprio ſenſu Virtutis voluptatem æſtimaveris, verendum erit nè tam languidè eam ſis proſecuturus, ut nunquam obtinueris; ſed, Divinæ Nemeſi relictus, æterno ſupplicio præſentem ſis expiaturus incredulitatem.

10. *Itaque ad perfectam Beatitudinem*, &c. Rectè ex definitione *Beatitudinis* deducitur hoc Conſectarium: Quippe quòd, cùm *Beatitudo* conſiſtat in *Voluptate* ex Virtutis ſenſu profecta rectéque factorum conſcientia, nemo poteſt frui hâc Beatitudine, ſi intenſiſſimus aliquis dolor aliò animum avocet, præſentémque voluptatis ſenſum extinguat. Unde prorſus requiritur ut dolorifici ſaltem morbi abſint à corpore, & ut victus ſuppetat neceſſarius. Rerum enim neceſſariarum indigentia vel penuria, utì etiam captivitas, duráve quævis ſervitus, perfectionem Beatitudinis, diſtrahendo curis animum, contemerabit, nec ſinet tam illuſtres Virtutis fructus edere.

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi———

Magn. Moral. lib. 2. cap. 8.

11. Eſt igitur opus τῆς ἐκτὸς εὐπορίας, *externâ ſerenitate* ſive *proſperitate*, quod ait *Ariſtoteles*, cùm homines ſimus, corporiſque neceſſitatibus obſtricti; integráque Felicitas ex duobus illis conſiſtit quæ *Pythagorici* vocant ἔπαινον καὶ μακαρισμόν, *Laudem & macariſmum: Laudem quidem*

Moral. Nicom. lib. 10. cap. 9.

que

quæ eſt ex Virtute; Macariſmum verò qui ex bona Fortuna. Quod abunde ſuprà monuimus ex eiſdem *Pythagoreis.* Cui cantilenæ rurſus clarè ſuccinit *Ariſtoteles* in Magnis Moralibus, *Abſque bonis externis beatum eſſe eſt impoſſibile.* *Magn. Moral. lib. 2. cap. 8.*

12. *Mediocritatem* tamen duntaxat requiri idem Philoſophus aſſerit ex ſententia *Solonis; Mediocria enim poſſidentibus licet agere quæ oportet.* Quod verò ad *exceſſum Fortunæ* attinet, obeſt magis Virtuti quàm prodeſt, & adinſtar vini luciſque nimiæ (inquit *Archytas*) etiam bonos inebriat & occæcat. Unde *Ariſtoteles* in *Eudemiis Anaxagoræ Clazomenii* reſponſum interpretans, non Magnum aut Divitem beatiſſimum aſſerit, *ſed qui vitam indolentem & immaculatam degit, Divinam aliquam participans contemplationem.* Sed de his plus ſatis. *Moral. Eudem. lib. 1. cap. 4.*

CAP. III.

De Virtute in genere, déque Recta Ratione.

1. *VIrtus eſt Intellectualis vis animæ, quâ Impreſſionibus animalibus ſive Paſſionibus corporeis ità dominatur, ut in ſingulis actionibus illud facilè proſequatur quod abſolutè & ſimpliciter optimum eſt.*

Malui definire Virtutem *vim* quandam quàm *habitum.* Primò, quòd ipſum *Virtutis* nomen

nomen idem innuit; voces enim videntur militares & Virtus ἀπὸ ἀνδρὸς· est enim ἀνὴρ ab Ἄρης, & *Virtus* propriè Fortitudinem significat. Deinde, quia *habitus* non est de essentia Virtutis; quoniam si quis natus esset cum hac *intellectuali vi* quam describo, proculdubio Virtute esset præditus, tametsi ex crebris actibus non esset profecta. Causæ enim externæ non sunt de essentia rei, sed solummodo internæ. Postremò, quòd hæc Virtutis notio animum fortiùs percellit & excitat ad amorem & exercitium Virtutis, innuítque Virtutem promptum esse quendam & expeditum vigorem, quo facilè & irresistibiliter animus fertur ad ea quæ sunt honesta & pulchra perpetranda. Facit igitur ad excutiendum illum languorem vel torporem quem quidam fortasse sibi indulgere possint, cùm tamen ex aliquammultis honestis actibus se Virtute revera præditos somnient.

2. *Vim* autem *Intellectualem* appello, tum quòd in *intellectuali* animæ parte sita est, non in *animali*, ut vis illa movendi membra; tum etiam quòd ex intellectuali sive rationali aliquo Principio semper excitatur.

Per *Impressiones* verò animales intelligo omne id quod à corpore cum aliquo affectu vel impetu ità obfertur animæ, ut periculum sit, ni sibi caveat, nè in aliquem errorem vel peccatum ducatur. Unde & obreptantes Imaginationes, & quæcunque animam fortiùs feriunt Phantasmata, ad hunc censum reducenda censeo. Per *Actiones* autem indigito quascunque animæ Motiones ex deliberatione profectas, (sive sint

Elicitæ,

Elicitæ, sive *Imperatæ*, ut distinguunt Scholæ) id est, omnes Actiones propriè dictas *Humanas*: Quarum generi rectè accensetur cujusvis dogmatis Philosophici, sive Physicum sit sive Metaphysicum, amplexatio vel repudiatio. Eadémque ratio est de reliquis.

3. Porrò, *Facilè* dico *animam prosequi*, ad plenioremexplicationem *vis* hujus *Intellectualis*: Nam nisi hoc fieret, Virtus non esset, sed potiùs dispositio quædam ad Virtutem. *Ratio enim non nisi vi iram cohibens & cupiditatem, Continentiam facit & Tolerantiam; ipsa verò vi rursus è via exturbata à Passionibus ratione carentibus, Incontinentiam & Mollitiem. Hujusmodi verò animæ dispositiones semiperfectæ Virtutes sunt, & Vitia itidem semiperfecta*, inquit *Theages* Pythagoreus.

Ex eo denique quòd dico animam prosequi id *quod absolutè & simpliciter optimum est*, effulget notabilis illa distinctio Boni, in id quod *simpliciter bonum* vel *simpliciter melius* est, & in id quod *alicui personæ*, vel *alicui particulari alicujus personæ afficiti, bonum vel melius*, hoc est, gratum vel gratius, est. Id autem *absolutè bonum vel melius est* quod τῷ ἀγαθοειδεῖ τῆς ψυχῆς, quod *Boniformi animæ facultati* (quæ planè divina est) gratum vel gratius est.

4. Quam sanè facultatem mihi videtur indigitare ipse *Aristoteles* in Ethicis ad *Nicomachum*, ubi asserit, *Optimum, quodcunque id demum sit, non apparere nisi viro bono.* Deprehendi, ait, quod in unaquaque re optimum est (hoc est, revera & simpliciter optimum) ab hominibus non quate- *Moral. Nicom. lib. 6. cap. 13.*

quatenus intelligentes ſunt, ſed quatenus boni. Unde rectiùs feciſſet ſi hanc facultatem ὄμμα ψυχῆς, *animæ oculum*, appellâſſet, quàm naturalem illam *Solertiam* quam δεινότητα appellat, quæq; facilè deflectitur in πανουργίαν, i.e. *Verſutiam*. Hujus autem diviniſſimæ facultatis ſenſum vel ſententiam cùm nemo de ſe percipere vel intelligere poſſit niſi qui ſit adeptus, neceſſe eſt recurrere ad medium aliquod principium, tanquam ad *Mercurium* quendam, communémque hominum & Deorum Interpretem, quam vulgò appellamus *Rectam Rationem*.

Illud itaque eſt *abſolutè & ſimpliciter optimum* quod in datis circumſtantiis *Rectæ Rationi* maximè conſonum eſt.

5. Eſt enim *Ratio Recta* in homine Exſcriptum quoddam ſive Apographon æternæ illius Rationis Legiſve in mente Divina conſcriptæ. Quæ tamen per Naturam non aliter nobis innoteſcit quàm quatenus, è Recta hac Ratione mentibus noſtris communicata, vel potiùs inſita & congenita, effulget atque reflectitur. In quantum autem effulget, in tantum obligat conſcientiam non ſecùs ac Lex quædam Divina cordibus noſtris inſcripta. Juxta quem ſenſum τὸ δέον illud *Pythagoreorum* rectè videtur poſſe exponi, ut & eorum *Virtutis* definitio, quâ ipſam definiunt Ἕξιν τινὰ τῦ δέοντος, *Habitum quendam illius quod fieri oportet*. Neque enim ſolùm ſignificat τὸ δέον *id quod medium & æquale eſt, & quod nullâ vel additione vel ſubductione indiget, ut quod jam eſt id quod oportet eſſe*; ſed etiam quod *obligat* & devincit, ità ut quis omnimodè

nimodè teneatur agere ſecundùm hanc Legem; prout præclarè hac in re etiam ſtatuit *Epictetus*, *Quod optimum apparet, Lex tibi ſit inviolabilis.*

6. Summa enim Virtutis in hoc conſiſtit, ut conſtanter proſequamur illud quod Rectæ Rationi viſum eſt optimum. Quippe quòd illud ipſum abſolutè & ſimpliciter optimum eſt, cùm & Divinæ Rationi ſit etiam conſonum, quæ non ex impotenti aliquo affectu partiúmve ſtudio hoc vel illud imperat, ſed, tanquam communis omnium *Parens*, iſtiuſmodi Leges dictat quæ ſuâ naturâ ad univerſi generis humani Beatitudinem conducunt. Unde apud *Ariſtotelem* Deus etiam appellatur Νόμος ἀϊδὴς ἢ ἰσοκλινὴς, *æterna Lex quoquò verſùm æqualiter inclinans*: & tam apud *Stoicos* quàm *Pythagoreos*, *Deum ſequi*, & *Naturam ſequi*, idem planè ſonat ac Rectam ſequi Rationem, quæ propriam noſtram naturam conſtituit, hominéſque à brutis diſtinguit. *De Mundo, cap. 6.*

7. Verùm enimvero, quod ſæpe ſæpius faſſus eſt *Ariſtoteles*, quanquam facile ſit ad hunc modum ſtatuere id optimum eſſe quod Rectæ Rationi eſt conſonum; tamen quid ſit, vel quis modus ſit hujus Rectæ Rationis, rectè definire omnium videtur difficillimum. Nam in *Magnis Moralibus* interroganti quid & ubi ſit hæc Recta Ratio, res huc tandem devenit; *Niſi apud temetipſum habes hujuſmodi rerum ſenſum, nihil efficitur.* Reſponſum eſt Medici quærenti quonam modo febricitantis pallor deprehendatur. Sed Philoſophus ſtatim ſubiufert, *Lib. 2. cap. 10.*

Similiter

Similiter ſe res habet in Paſſionibus dijudicandis: Oportet enim ex ſenſu quaſi quodam conjecturam capere. Tandem igitur judicium reſolvitur in *Senſum aliquem internum*; quem ego certè appellarem *Boniformem animæ facultatem:* quamvis fatendum ſit quòd qui hoc modo afficitur, exinde videatur ὅμοιόν τι πάσχειν τοῖς ἐνθουσιάζουσι, (quemadmodum alibi notat *Ariſtoteles* de eis qui naturali quodam impetu & ſine ratione feruntur in Bonum,) *ſimiliter* utique *affici atque illi qui divino Numine afflantur.* Et certè hoc principium, quod ἀγαθοειδὲς *Boniforme* appello, omnium in nobis diviniſſimum eſt, ſed minimè omnium fanaticum.

Magn. Moral. lib 2. cap. 8.

8. In alio loco *Rectam Rationem* ad hunc modum definit, *Rectam* nimirum *eam eſſe Rationem quæ eſt ſecundùm Prudentiam.* Cùm autem ipſa *Prudentia* nihil aliud ſit quàm *Solertia* ſive Sagacitas illa naturalis (quam ille δεινότητα appellat, & tanquam *animæ oculum* conſiderat,) exculta & purgata, iterum Reſponſum reſolvitur in Senſum quendam ſive Facultatem internam divinatoriam, non in certa & diſtincta Principia juxta quæ judicandum eſt quid in quaque re ſit optimum.

Moral. Eudem. lib. 5. cap. 13.

9. Sed diſtinctiſſimè & apertiſſimè hac de re philoſophatur in ultimo *Eudemiorum*, ubi eadem proponitur quæſtio, cui in hunc modum reſpondet: *Jam verò oportet, ut aliàs, ad Principis nutum vitam inſtituere, & ad iſtiuſmodi habitum aſpirare cujus ideam actu tibi repræſentat Princeps* (ſive τὸ πολιτικὸν) *jubéntque in ſingulis imitari*; hoc eſt, integram & intemeratam ſervare conſcientiam.

Moral. Eudem. lib. 7. cap. 15.

Conſiſtit

Consistit enim humana natura ex duabus partibus; quarum altera imperare, altera subjici debet. Unde pars subjecta, ex communi omnium Civitatum *jure, obsequi tenetur parti imperatrici. Quod quidem imperium duplex est. Aliter enim medicina, aliter sanitas imperat. Hujus autem gratiâ illa est. Ità se res habet in Contemplatione. Primo in loco decreta edit summus Imperator Deus. Sed illud cujus gratiâ est ipsa Prudentia, quam hoc modo mentibus hominum ingenerat. Quæ ipsa etiam decernit quid in rebus humanis optimum est. Deus enim nullius rei indiget. Quæ igitur electio & possessio naturalium bonorum maximè facit ad adjungendum contemplatione animum Deo, hæc est optima, atque hæc mensurâ pulcherrima quâ in singulis deliberationibus utamur. Quæ verò vel ob defectum vel excessum minimè permittit nos Deum contemplari & colere, hæc omnium pessima est.* Quo certè Responso nullum Oraculum videtur verius ac Divinius.

10. Cui tamen consonum est quod scribit in Ethicis ad *Nicomachum*: *Diis immortalibus universa quidem vita beata est; Hominibus verò, in quantum hujusmodi operationis imago quædam est vel similitudo.* Meminisse autem eum oportebat Divinam illam vitam non in sola Sapientia, sed quàm maximè in Amore, Benignitate & Beneficentia consistere: qui sunt fructus Divinioris illius particulæ Animæ quam *Boniformem* vocamus, quâque potissimùm Deo Optimo Maximo assimilamur. *Lib. 10. c. p. 8.*

11. Rectè utrumque conjunxit *Pythagoras* apud *Ælianum*; *Duo hæc dona à Diis pulcherrima hominibus* * *Var. Historlib. 12. cap. 59.*

hominibus data esse, verum utique dicere, benéque facere: videri verò utrumque ipsis Deorum immortalium operibus simile: id est, Divinæ vitæ summam consistere in *Veritate* & *Beneficentia.* Si quis igitur *Aristotelis Pythagoræque* & aliorum præstantissimorum Philosophorum judicio stare velit, agnoscet mensuram *Rectæ Rationis* esse, imitari, quantum possumus, Divinam Sapientiam & Bonitatem. Ad quem sensum rectè etiam exponi puto illud *Theagis Pythagorei*, *Principium enim & causa & mensura humanæ felicitatis est Divinarum præstantissimarumque rerum cognitio.*

CAP. IV.

Noemata quædam sive Principia Intellectualia, in quæ omnis ferè Ratio moralis resolvitur.

1. CÆterùm cùm sint quorum animis exolevit omnis sensus Dei rerúmq; Divinarum, quíque nullam certum principatum in Facultatibus agnoscunt, sed ei Passioni obediendum esse contendunt quæ imperium sibi fortè fortunâ inter cæteras arripuerit, illiúsque desideria implenda, atque in hoc summam humanæ Felicitatis positam esse statuunt: hosce certè homines (modò homines sint, non turpissima pecora) aliâ adoriendum est viâ; mensuráque Rectæ Rationis proponenda, quæ non à divinissima illa Animæ parte petitur quam *Boniformem* appel-

appellamus, ſed ex Intellectuali propriè dicta. *Eſt enim eorum terminorum intellectus quorum non eſt ratio.* *Moral. Eudem. lib. 5. cap. 8.*

2. Depromam igitur ex hac penu Principia quædam immediatè vera nulliúſque indiga probationis, ſed in quæ omnis ferè Ratio moralis (quemadmodum Demonſtrationes Mathematicæ in *communes ſuas ſententias*) perſpicuè faciléque reſolvitur. Quæ cùm fructus ſint illius Facultatis quæ propriè Nῶ appellátur, minimè abſonum forè putavi ſi *Noemata* nuncuparem *Moralia*. Cujuſmodi ſunt quæ ſequuntur, quæque, nè quis ab illis ſibi malè metuat, fidem do nullam ſapere ſeveritatem vel auſteritatem, ſed planè mellea eſſe admodúmque ſuavia & dulcia, utpote quæ nullum bonum proponunt niſi quod gratum jucundúmque eſt percipienti.

Noema I.

Bonum eſt quod vitæ alicui perceptivæ, vitæve hujus gradui, gratum, jucundum & congruum eſt, & cum conſervatione percipientis conjunctum.

Noema II.

Quod verò vitæ alicui perceptivæ, vitæve hujus gradui, ingratum, injucundum & incongruum eſt, Malum eſt; atque ſi cum deſtructione

ſtructione percipientis tandem conjunctum, omnium peſſimum.

Exempli gratiâ, Si quid aures vel oculos non modò offenderet, ſed etiam ſurditatem & cæcitatem ſuperinduceret, hoc peſſimum eſſet. Eſſet autem ſuppar malum, quamvis viſus indè ſolummodò debilitaretur, vel hebeſceret auditus. Eadémque ratio eſt de reliquis Facultatibus.

Noema III.

E ſpeciebus vel gradibus vitarum perceptivarum quæ reperiuntur in rerum univerſitate, aliæ aliis ſunt præſtantiores & excellentiores.

Noema IV.

Unum Bonum poteſt eſſe altero præſtantius naturâ, durationе, vel utriſque.

Hoc per ſe clarum eſt. Illuſtrari tamen poteſt ab hoc incommodo, quòd aliter una vita non eſſet præſtantior alterâ, nec una felicitas alterâ major. Unde æquè felices eſſent Deus, Angelus, Homo, Equus, & viliſſimus quivis Vermiculus. Quod nemo, niſi planè inſaniat, ullo modo admittere poteſt. De Durationе nè minima quidem ſuboriri poteſt dubitatio aut difficultas.

Noema

Noema V.

Quod eſt bonum, eligendum eſt; malum verò fugiendum: Præſtantius autem bonum eligendum præ eo quod minùs præſtat; minúſque malum tolerandum nè majus ſubeamus.

Noema VI.

In eo quod ipſi nondum experti ſumus credendum eſt eis qui profitentur ſe expertos, modò vitam degant profeſſioni conformem, nullâque fraus ſuboleat, mundanique commodi aucupium.

Noema VII.

Abſentia boni quod ſe habet ut octo eligibilior eſt quàm præſentia mali quod itidem ſe habet ut octo, quoad pondus & durationem; & adhuc tantò eligibilior, quantò malum excedit bonum pondere & duratione.

Noema VIII.

Quod certò futurum eſt rationem habere debet præſentis, utpote quod aliquando revera nos præſens præſentes occupabit. Eſtque ſuppar Ratio de eo quod valde probabiliter eſt futurum.

Noema IX.

Minùs præstantia Bona mensurantur à præstantioribus quoad pondus & durationem.

Noema X.

Præsens Bonum omittendum vel minuendum est ex probabili exspectatione boni futuri infinitis vicibus præstantioris præsenti quoad pondus & durationem; ideóque multò magis ex exspectatione certa.

Noema XI.

Præsens Malum est tolerandum, ut evitemus malum probabiliter futurum infinitis vicibus majus præsenti quoad pondus & duration em: Quod adhuc constantiùs faciendum est cùm certò sit futurum.

Noema XII.

Mens affectuum præjudicio libera rectiùs judicat, quàm cum passionibus ullisve corporeis impressionibus irretitur vel perturbatur.

Quemadmodum enim Cœlum nubilum tu
bidúm

bidúmque æquor lumen non tranſmittunt ; ità animus perturbatus obnubilatúſque Paſſionibus vel clariſſimam rationem vix admittit. Hâc ſimilitudine egregiè rem illuſtrat *Boethius* in illo Carmine,

Nubibus atris Fundere poſſunt
Condita nullum Sidera lumen, &c.

Eſt verò prolixius quàm ut huc tranſcribi debeat.

3. Atque hæc ferè ſunt *Noemata* quæ faciunt ad ingenerandum animæ *Prudentiam*, *Temperantiam* & *Fortitudinem*, quæ ſpectant ad officium *erga noſmetipſos*. Quæ ſequuntur ſpectant ad officium *erga alios*, Homines putà atque Deum, Virtutémque, ac proinde ſunt Fundamenta Sinceritatis, Juſtitiæ, Gratitudiuis, Miſericordiæ & Pietatis. *Pietatem* enim numero inter morales Virtutes, cùm Deus cognoſcibilis ſit ex lumine Naturæ.

Noema XIII.

Summum abſolutiſſimúmque Bonum affectu ſummo, media mediocri, minimáque minimo, proſequi debemus ; nec ſummum ſummóve cognata Bona mediis minimiſve, ſed media minimáque ſummo, ſubordinare.

Noema XIV.

Quod tibi bonum præſtari velles in datis circumſtantiis, idem debes ipſe alteri præ-

ſtare in eiſdem circumſtantiis, quoad fieri poteſt citra tertii alicujus injuriam.

Noema XV.

Quod malum tibi fieri nolles, à faciendo illud alteri ipſe debes abſtinere, quoad fieri poteſt abſque tertii alicujus injuria.

Noema XVI.

Bono bonum compenſandum eſt, non malo.

Noema XVII.

Bonum eſt homini ut habeat unde bene beatéque vivat.

Noema XVIII.

Si bonum eſt ut uni homini ſuppetat unde bene beatéque vivat, ex certa Analogia planéque Mathematica ſequitur, quòd duplo melius eſt ut duobus hominibus ſuppetat, triplo, ut tribus, millecuplo ut mille, & ſic deinceps.

Noema XIX.

Melius eſt unum hominem non voluptuosè vivere, quàm alterum calamitosè ac miſeré.

Noema

Noema XX.

Bonum eſt parere Magiſtratui in rebus adiaphoris, etiam citra omnem ſupplicii formidinem.

Noema XXI.

Melius eſt Deo parere quàm hominibus propriiſque noſtris cupiditatibus.

Noema XXII.

Bonum juſtúmque eſt ut ſuum cuique tribuatur, illiúſque uſus & poſſeſſio ipſi ſine moleſtatione permittatur.

Noema XXIII.

Manifeſtum tamen eſt, quòd ità quis ſe gerere poſſit, ut quod acquiſitione vel donatione ſuum eſt, de jure deſinat eſſe ſuum.

4. Hæc horúmque ſimilia *Effata* rectè nuncupaveris *Noemata Moralia*, ut quæ per ſe tam clara ſunt & manifeſta, ſiquis ſepoſito omni præjudicio ipſa ſecum velit conſiderare, ut nullis rationum ambagibus longioribúſve argumentorum deductionibus indigeant, ſed primo aſpectu de ſe vera eſſe deprehenduntur. Habemus igitur jam in numerato quod reſpondeamus quæ-

renti quid sit *Recta Ratio:* Illa enim est quæ certis & necessariis sequelis tandem resolvitur in aliquod Intellectuale Principium immediatè verum. Quòd si porrò quærat exemplum ejusmodi Principiorum in Moralibus, præstò sunt quæ modò recensuimus.

CAP. V.

Quòd datur aliquid simpliciter & suâ naturâ Bonum, quibúsque id demum facultatibus deprehenditur & percipitur.

1. ATque hinc tandem liquet quòd sit aliquid simpliciter & absolutè Bonum quod prosequendum est in singulis actionibus humanis: Cujus natura, essentia & veritas penès *Rectæ Rationis* judicium est, sapor autem & dulcedo ἐν τῷ ἀγαθοειδεῖ *in Boniformi animæ facultate* percipitur. Quódque omne Bonum morale propriè dictum est *Intellectuale & Divinum: Intellectuale*, quatenus ejus essentia veritásque ab Intellectu definitur & agnoscitur; *Divinum*, quatenus ejus dulcedo in divina illa facultate (quâ adhæremus Deo, simplicissimo illi & absolutissimo Bono, & qui semper vult id quod absolutè & simpliciter bonum est) summa cum voluptate & affectu gustatur. Divina igitur hæc sapere summa hominis sapientia est, summáque Felicitas. Ipsâ enim animæ nostræ summitate & flore conjungimur cum illo quod abso-

absolutè optimum est, juxta antiquum illud Oraculum,

Objectum quoddam est quod mentis flore prehendas.

2. Quod verò attinet ad eos qui temere aut ex composito dictorum *Noematum* veritatem negaverint; rogato illos quam tandem Facultatem consulunt, dum tam absurda Responsa depromunt. Deprehendes enim semper consulere *Appetitum animalem*; quódque illi jucundissimum est, optimum esse definire. Quæ certè vox pecudis est, non hominis. Hæc autem *Temperantiam* spectant.

3. Porrò quod ad *Justitiam* attinet, eodem ferè modo definiunt. Nempe, quod absolutè & simpliciter Bonum est (quale illud est quod suâ naturâ justum est) nullo modo intelligo. Illud solùm bonum esse intelligo quod *mihi ipsi* bonum est, de proximo nihil solicitus. Interroga igitur porrò; Fatebitur apertè illud *ipsi* gratum bonúmque esse quod *animali Appetitui* gratum est; non animadvertens interim quàm subdolè humanam dissimulat speciem, solámque præ se fert belluinam: imò verò potiùs, quàm ex confesso seipsum appellat belluam, non hominem. Cùm tamen potiori jure id *nosmetipsos* esse existimare debeamus quod in nobis optimum est, aut quod certè medium locum tenet. Est autem illud Intellectus, Rectáque Ratio.

4. Nam ut in numeris ultima unitas speciem constituit, ità in rebus postrema perfectissimáque differentia essentialis facit rem esse quod est, & ab aliis distinguit. Qui igitur id solum

lum bonum esse contendit quod *sibi* gratum est, innuens quod *suo animali* gratum est *Appetitui*, planè brutum se prædicat. Quòd si innuat quod Intellectus rectáque Ratio probat, Facultatique boniformi gratum est, id certè πῷ ἀληθεῖ ἀνθρώπῳ, quemadmodum appellat *Plotinus*, id *vero Homini* (quem *hominem Intellectualem* rectè appellare poteris) gratum est, ab ipsóque probatum.

5. Ea est autem omnis vitæ Intellectualis natura atque indoles, ut, quemadmodum non quærit quid alicui hominum numero, quamvis immenso, multò minùs quid cuivis singulari homini, *verum* videri possit, sed quid absolutè & simpliciter verum est; ità nec quærit nec amplectitur id quod uni alicui homini vel quamplurimis *bonum* videatur, sed quod absolutè & simpliciter est bonum, & quod in datis circumstantiis (quantumvis reclamante animali Appetitu) semper est eligendum ab omni Intellectuali creatura: Ità ut hujusmodi quævis electio (utì in Arithmetica speciosa singularis aliqua operatio) in generale abeat Theorema, tanquam constans quædam & æterna Idea illius quod agendum est in datis circumstantiis; quod æquè tenemur amplecti, (appetitui animali ingratum sit quàm velis maximè,) ac veritatem illam agnoscere quæ contrariari videtur externo sensui.

6. Quamobrem ut Intellectûs vitium est, cùm Sensui aut Imaginationi ità indulget aut obtemperat, ut quod realiter verum est minùs assequatur; ità proculdubio vitium est Voluntatis, si quis Appetitu animali abreptus aut occæcatus, non amplectatur id quod simpliciter & absolutè

ſolutè bonum eſt. Nam quòd in præſens adeò gratum non ſit Voluntati, id ſuâ ſit culpâ vel defectu, quòd nondum expergefecerit ſupremam illam divinisſimámque Facultatem quâ illud quod abſolutè optimum eſt maximè ſapimus, ſummóque cum affectu & voluptate eo afficimur & oblectamur; adeóque illud adamamus & ſuſpicimus, ut vel mille mortibus caput objicere malimus quàm noſmetipſos ſinere tantâ dulcedine privari, aut tam amabilem vitæ florem diviníque ſenſûs integritatem turpi quavis aut inhoneſtâ actione offendere, lædere, aut violare.

7. Quemadmodum igitur eſt aliquid ſuâ naturâ & immutabiliter *verum*, ità eſt aliquid ſimpliciter & ſuâ naturâ *bonum*: útque illius quod ſuâ naturâ verum eſt veritas Intellectu percipitur; ità illius quod ſimpliciter Bonum eſt grata ſuavitas & jucunditas *Boniformi* percipitur *facultate*. Qui verò quidvis, utcunque gratum eſt, perinde bonum eſſe contendunt, eámque eſſe humanarum actionum menſuram, planè inſanire mihi videntur, ex eo quòd Sapientes, Stultos & Maniacos eadem in conditione collocant; niſi quòd fortè Stultos & Maniacos Sapientibus præferant, ut qui ipſis conſtantiùs & obſtinatiùs, omni aliâ ratione abjectâ & ſepoſitâ, id quod ſibi gratum eſt, quantumlibèt turpe ſit & ridiculum, & quantocunque cum periculò conjunctum, in ſingulis actionibus proſequantur.

8. Atque eſto certè quòd cautiùs quidam hac in re loquantur, ſuúmque velint Sapientem, utcunque

cunque aliter insaniat, suiipsius conservationi semper prospicere; negari tamen non potest quin hâc ratione invulnerabilem aliquam dementiam vel stoliditatem sapientissimæ Immortalitati æquiparent.

Præterea, Simplex suiipsius conservatio non est optabilis, cùm tantâ miseriâ aut turpitudine onerari possit, ut quemvis hominem nisi stupidissimum vitæ prorsus tæderet.

Postremò, Si præsens suiipsius Conservatio bona est & optabilis, sequitur quòd quæ diuturnior est ac productior est melior, productissima autem omnium optima. Et si hujusmodi Conservatio unius hominis bona est, quòd duorum duplo melior sit, trium triplo, & sic deinceps; ità ut juxta lumen Naturæ sequatur, quòd unaquæque Creatura Intellectualis teneatur curare & promovere Conservationem sui proximique tam præsentem quàm futuram, quantum in se est, quantúmque fieri potest citra tertii alicujus injuriam. Quod quidem non minimam *Justitiæ* partem implet, ut & *Temperantiæ* omnisque omnino Virtutis.

CAP. VI.

De Passionibus in genere, déque earum utilitate.

1. Quid sit *Virtus* in genere definivimus. Antequam descendamus ad species, non abs

abs re erit aliquid de *Passionibus* prælibare circa quas versantur, earúmque naturam, usum & incommodum breviter explicare, itáque mentem præparare ad pleniorem perfectiorémque *Virtutum* notitiam.

2. Per *Passiones* autem intelligo non solùm eas quæ vulgò in Morali tractantur Philosophia, sed quamlibet Impressionem corpoream quæ apta nata est ad pervertendum Animæ judicium, mentémve occæcandam, quo minùs quid in re quaque optimum est discernat. In hoc igitur numero pono omne phantasma sensúmve internum falsum quantumvis pervicax, quod obreptare vel adhæresce re animo possit ex vi educationis, consuetudinis, vel alicujus ἰδιοσυγκρασίας, eúmque in errorem abducere. Nam ad hæc etiam extendere se Virtutem oportet, ipsísque ità dominari, ut mens nunquam vacillet in judicio, nec avertatur à prosequendo id quod simpliciter optimum est.

Primò autem agemus de Passionibus propriè dictis, quales sunt *Amor*, *Odium*, *Ira*, & id genus reliquæ. De quibus omnibus contra *Stoicos* statuendum est, quòd sunt suâ naturâ bonæ, quódque Divinæ Providentiæ scopus non minùs deprehenditur in ipsarum usu quàm in structura organorum corporis cujusvis Animalis.

3. Sed & in genere earum utilitas quadantenus edoceri potest aptéque illustrari. Cùm enim Passiones conjunctæ sint cum vehementiori spirituum agitatione, videntur quidem id præstare in homine, quem *minorem Mundum* quidam

quidam amant appellare, quod Venti præstant in majori. Quemadmodum enim illi aërem expurgant, ità & hæ sanguinem ventilant, nec sinunt eum stagnare & putrescere.

4. Porrò, varia Animæ Theatra superinducunt, valdéque diversas phantasmatum Scenas ipsi obferunt, quæ judicium quidem tentant & vellicant, sed majori simul experientiæ supellectile instruunt, & mirabilem illam nobis exhibent voluptatem, quòd in omnibus hisce tempestatibus, variisque & validis incursantium phantasmatum prælligiis & insulturis, deprehendimus quòd sit aliquid in nobis Divinum, quam *Mentem* nuncupamus, quæ eundem sensum judiciúmque per omnes hasce commotionum vices constanter retinet, nec in consensum se abripi sinit vel importunissimis Passionum tentationibus, sed ei quod simpliciter optimum est indesinenter adhæret.

5. Præterea, Ex hoc conflictu & victoria detegitur quoddam Imperium sive Regnum in Anima, quódque Intellectualis pars habet quod instituat & erudiat, ut Venator canem, vel ut Pater filium: Quemadmodum innuit *Aristoteles*, duas partes in Anima statuens quæ quodammodo Rationem habere dicantur; *una quidem propriè & in seipsa, altera tanquam quiddam suo obtemperans patri.* Intelligit autem eam partem Animæ quæ ad concupiscendum & appetendum omnino impellit. *Pars enim Vegetativa nullo modo Rationis est particeps: Concupiscibilis verò pars Animæ & in universum appetitiva quodammodo particeps est, quatenus scilicet Ratio-*

Ethic. Nicom. lib. 1. cap. 13.

Rationis dicto eſt audiens, ipſiúſque imperio ſubjicitur. Dubitare tamen meritò quis poteſt, cum pace tanti Philoſophi, an ipſa *pars* Animæ *Plaſtica*, quam *Vegetativam* hìc appellat, non exiſtimanda ſit aliquo etiam modo obedire Rationi. Nam omnes illi naturales appetitus atque impetus non tam *Perceptivæ* partis quàm *Plaſticæ* fructus ſunt & effectus.

6. Fons & Origo ipſorum in *Plaſtica* eſt, cujus præcipua ſedes eſt *Cor*; perceptio tamen ipſorum eſt in parte *Perceptiva*, cujus domicilium eſt *Cerebrum*. Cùm verò pars utraque eſſentialiter, vitaliter & indiſcerpibiliter una ſit, nihil mirum eſt quòd pars Perceptiva tentetur, vellicetur, & aliquando abripiatur à Paſſionibus: quæ de ſe quidem cæci ſunt tantummodo Naturæ inſtinctus, qui fortè in ipſis Plantis reperiuntur, ut & Juventa & Senectus; ſed percipiuntur in Animalibus, ut in avium nidificatione & incubatione; in Hominibus verò non ſolùm percipiuntur, ſed diſtinctè & reflexivè à Mente intelliguntur tanquam ab alio aliquo profecti, ſive illud ſit pars *Plaſtica* Animæ ſola, ſive quatenus conjuncta ſit cum univerſali illo plaſtico Principio quod *Spiritus Naturæ* à nobis dicitur, & fortean ab ipſo *Ariſtotele* indigitatur in illo toties repetito axiomate, *Natura nihil agit fruſtrá.*

7. Eſt enim Principium efformativum omnium Plantarum, corporúmque omnium Animalium, quibus inſevit excitátque iſtiuſmodi inſtinctus qui tendunt ad ſalutem uniuſcujuſque individui Plaſmatis, ſed maximè omnium eos

qui

qui faciunt ad conservationem Speciei: Quales sunt coeundi appetitus, affectúsque erga fœtus quem Græci στοργὴν vocant. Cujus vis mira deprehenditur in cane fœta viva dissecta. Nam si coram ipsa filium lædis, latrat, vociferatur; sin illum ori illius admoves, proprii doloris oblita silet, atque magnâ pietate lambit. Quod mirandum spectaculum sæpius se in publicis Theatris ostendisse scribit optimus ille Anatomicus *Realdus Columbus*.

De re Anatomica lib. 14.

8. Omnes igitur animales Impetus & Instinctus ad Regionem Naturæ pertinent, súntque quasi quædam imperfectiores umbræ ac vestigia Sapientiæ & Bonitatis Divinæ, quæ in hac obscura Regione subluceſcunt. Atque hoc est illud Principium cum quo ex participatione purioris ac Divinioris luminis collucamur quoties limites excedit hujus supernæ legis. Nempe, *Intellectualis* pars animæ contendit cum *Plastica*, quæ *spiritum Naturæ* habet acerrimum Instigatorem & Fautorem, præsertim in quibusdam affectibus; sed ex altera parte vis quædam Divinior instat, urgétque fortiter resistendum esse omnibus Naturæ incantamentis & illecebris, & illius quod honestum est & simpliciter optimum rationem semper esse habendam.

9. Animæ verò præsentiam primò exiguis illis *Conarii* cancellis circumscribere, & deinde animatam hanc glandulam fingere (ad instar homunculi cujusdam cum penula & bacillo contra ventum nitentis) ex una parte ab anima inhabitante, ex altera à spirituum impe-

tu

tu flatúve impelli, atque in hoc consistere luctam illam & conflictum inter partem inferiorem animæ & superiorem, sive inter *carnem* & *spiritum*, prout loquuntur Theologi; Commentum certè perquam lepidum est, sed, quod sat scio, nihil in se habet solidæ veritatis. Verùm ea de re non est hîc dicendi locus.

10. Palàm est igitur, Regnum quoddam in nobis esse sive Principatum, Animúmque nostrum rem esse non adeò solitariam, sed satis numerosè stipatam satellitio, nec in proprias solùm Passiones imperium habere, sed in ipsum *Naturæ spiritum*, cujus incantamenta & illecebras, divinìori quadam magiâ fretus, comprimere potest vel extinguere.

11. Ex quibus insuper sequitur quòd per Passiones fit quòd vita sensúsque in nobis plenior sit, multóque subindè excitatior: Sunt enim Affectus Animi quasi alæ vel quadrigæ, quemadmodum olim in *Phædro* suo notavit *Plato*.

12. Neque illud prætereundum est quod ingeniosè innuit *Cartesius*, quòd Passiones videntur certissimus & solidissimus animæ nostræ thesaurus. Cùm enim in aliis plerisque perceptionibus decipi possimus, nec certi esse an id revera sit quod repræsentant, nullus locus est deceptioni (inquit ille) quoad Passiones; quia tam propinquæ & intimæ animæ nostræ sunt, ut ei impossibile sit illas sentire, quin revera sint quamdiu eas sentit. Unde mirifica illa pax animi & tranquillitas, permanénsque ac nunquam pœnitenda dulcedo & volup-

tas, quæ ex ſenſu Virtutis percipitur, non ſolùm ſupra omnes illas voluptates quæ aptæ natæ ſunt pœnitentiam & amaritudinem animæ poſtea ſuperinducere, ſed etiam ſupra omnes opiniones & ſpeculationes Philoſophicas, æſtimanda eſt; cùm ob alias cauſas, tum maximè quòd de eis ut plurimùm dubitare quis poſſit; de hac verò, cùm Paſſio ſit, non Opinio, nulla ſubeſſe poſſit dubitatio.

13. Poſtremò, Præter uſum illum omnium ferè Paſſionum communem, quòd objecti imaginem firmiùs animæ imprimunt, ipſíque quaſi inurunt, eſt certè alius minimè contemnendus, quòd ex Paſſionibus poſſumus apud noſmetipſos æſtimare quanto pretio habemus ea quæ pulchra ſunt & honeſta, quámque verè ac vitaliter anima noſtra cum ipſis conjungitur. Eſt enim intimus maximéque immediatus vitæ fructus, affectus; ſine quo tametſi ſuperficiariâ quadam & imaginariâ approbatione res optimas ornare poſſimus, non poſſumus tamen ſine illo per modum vitæ ſenſúſque animam noſtram cum ipſis conjungere, nec conjunctam eſſe certò judicare, niſi æquali ἀπαθείᾳ à rebus turpibus & inhoneſtis abhorreamus, ſive hæc in nobiſmetipſis occurrunt, ſive in aliis. Ea enim eſt Virtutis ratio, ut amet quæ optima ſunt, & à peſſimis abhorreat; non quòd quis in ſe una reperiat, altera in aliis, ſed ſimpliciter quatenus ſunt talia. Eſtque perfectiſſimus vitæ ſtatus bonum amare, malum autem horrore aut indignatione excipere, ubicunque emicuerint. Hoc enim arguit inferiorem animæ partem

tem in conſenſum rapi à ſuperiori, totúmque hominem igneis quaſi affectuum quadrigis, *Eliæ* inſtar, uſque ad Cœlum Deúmque ſubvehi.

14. Quòd ſiquis, ſub prætextu neſcio cujus affectatæ animi tranquillitatis, prudentiæ, pacíſve ſtudii, tolerare poſſet ſine omni animi commotione quod turpiter commiſſum eſt contra communia humani generis jura & æternas Virtutis leges, cùm tamen privatâ quavis injuriâ in ſeipſum immiſsâ ſatis uri & commoveri ſoleat; inſigne certè hoc eſſet ſpecimen Hypocriſios, quæ non tam ridenda eſſet, quàm ab omnibus mortalibus exſecranda.

15. Sunt igitur Paſſiones bonæ, maximáque vitæ humanæ complementa, modò hæ duæ leges obſerventur. Prima, ut Affectus ferantur ad Objectum debitum, quæ Ὀρθοπάθεια (ſive *rectius paſſionum impetus*) dici poteſt: Contra quam qui peccant, immaniſſimè omnium peccant. Quales ſunt invidi, & qui ſævitiâ & crudelitate ſe oblectant, & id genus reliqui homines.

Secunda lex eſt, ut Affectus ſit commenſuratus Objecto & Fini, hoc eſt, ut (juxta Noema decimum tertium) ſummo affectu optima maximáque, mediocri mediocria, minimóque minima, proſequamur; ſed ut nuſquam in tantum commoveamur, ut Affectûs violentia lumen Rationis intercipiat aut minuat, quo minùs finem aſſequamur ad quem collineat Natura in ſingulis Affectibus quos animabus noſtris indidit: Quam proinde legem Μετριοπάθειαν

(ſive *moderatum paſſionum impetum*) appellare poteris.

16. Qui verò obtentu exterminandæ diſcordiæ ex anima, & finiendi illam luctam & conflictum quo aut Paſſiones cum Ratione, aut inter ſe invicem, præliantur, omnes Affectus tolli volunt, perinde mihi facere videntur ac ſiquis, nè fiat ulla diſſonantia in Lyra, omnes illius chordas diſcindi velit; & nè ulla corpus invadat intemperies morbida, humores omnes pharmacis exturbari. Quemadmodum rectè & eleganter jam olim monuit etiam *Theages Pythagoreus*; nempe, *Quòd in eximendis animæ paſſionibus, voluptate utique & dolore, Virtus non contingit, ſed in hiſce ritè contemperandis.* Et deinde duplicem illam ſimilitudinem copioſiùs adhibet ab humoribus corporis rectè commiſcendis, chordíſque Muſicis ſcitè coaptandis contemperandíſque, deſumptam, quam nihil neceſſe eſt repetere, cùm jam ſatìs expreſſerimus.

17. Quis autem modus vel menſura ſit ad quam componi & temperari Affectus debeant, duæ ſuprà dictæ leges ſatìs edocent, ὀρθοπάθειαν & μετριοπάθειαν complexæ. Ad quarum alteram referenda eſt præclara illa *Ciceronis* ſententia: Ergò is quiſquis eſt qui moderatione & conſtantiâ quietus animo eſt, ſibíque ipſe placatus, ut neque tabeſcat moleſtiis, neque frangatur timore, nec ſitienter quid appetens ardeat deſiderio, nec alacritate futili geſtiens deliqueſcat, is eſt ſapiens quem quærimus; is eſt beatus, cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis

Quæſt. Tuſcul. lib. 4.

lætabile

lætabile ad efferendum, videri poteſt. Quem verò ambitione aut libidine inflammatum & furentem videmus, omnia rabidè appetentem cum inexplebili cupiditate, quóque affluentiùs opes aut voluptates undique hauriat, eò graviùs ardentiúſque ſitientem; næ ille homo eſt quem nemo ſapiens dubitaverit exiſtimare omnium mortalium infeliciſſimum.

CAP. VII.

De Paſſionibus, in ſpecie, propriè dictis.

1. PAſſionum ſpecies cùm nemo, quod ſciam, accuratiùs enumeraverit quam inſignis ille Philoſophus *Carteſius*, nec definiverit diſtinctiùs, in hujus ferè veſtigiis hac in re ſemper inſiſtam, niſi magna aliqua cauſa impediverit. Cæterùm non abs re erit primò plenjorem *Paſſionis* definitionem proferre, ſubſequentibúſque ſpeciebus præfigere.

2. Eſt igitur *Paſſio vehemens animæ Senſatio quæ ſpeciatim ad ipſam animam refertur, & cum extraordinario ſpirituum motu conjungitur. Senſatio* rectè *Paſſio* dicitur, quoniam in Paſſione anima ſentit ſe pati; & *vehemens*, quia vehementer: *ad ipſam animam* autem *ſpeciatim referri* hæc ſenſatio, ut diſtinguatur ab aliis ſenſationibus; quarum aliæ referuntur ad objecta externa, putà, Odores, Sonos, Colores; aliæ

ad corpus noſtrum, ut Fames, Sitis, Dolor. Conjungi denique hanc ſenſationem dico *cum ſpirituum motu*, potiùs quàm ab ipſo produci; quoniam illud ſemper contingit, hoc non ſemper, imò forſan rariùs, ſi excipias illum motum qui oritur ex potu & cibo, atque aëris mutatione. In externis enim objectis à quibus Senſus vel Imaginatio percellitur Anima movet ſpiritus, non ſpiritus Animam.

De Paſſion. Anim. part. 2. Artic. 69.

3. Omnes Animæ Paſſiones ad ſex principalia ac primitiva genera revocat *Carteſius*; *Admirationem*, *Amorem*, *Odium*, *Cupiditatem*, *Lætitiam*, *Mœrorem*. Quarum ordo & diſtinctio hâc ratione deprehenditur. Nam quàm primùm aliquod novum objectum, circumſtantiâve aliquâ novâ modificatum, nobis occurrit, Animadverſivam facultatem ſiſtit & detinet, & in extraordinariam quandam attentionem rapit, quæ ipſa hæc *Admiratio* eſt: Quæ, cùm contingere poſſit antequàm cognoſcamus utrùm objectum gratum futurum ſit an ingratum, Paſſio meritò omnium prima habenda eſt.

4. Poſtea verò, ſi anima conſiderat objectum ſub ratione grati vel ingrati, quod idem ferè ſonat quod boni vel mali, unum *Amorem*, alterum *Odium* excitat. Bonum autem hoc atque malum ſi conſiderantur ut futura, *Cupiditatem* in nobis accendunt; illud, uniendi cum illo ſive illud poſſidendi, hoc, evitândi ipſum aut à nobis amoliendi. Primum Scholæ *Deſiderium* vocant, alterum *Fugam*; & certè non malè. Denique, ſi ut præſentia conſiderantur, Bonum *Lætitiam*, Malum *Mœrorem* gignit.

5. Verùm,

5. Verùm, tametsi satis rectè mihi videtur *Cartesius* calculum subduxisse in hac Passionum enumeratione, non video tamen quin pari jure ad breviorem numerum reduci possint, nempe, ad tres illas primas, *Admirationem*, *Amorem*, & *Odium*. Quid enim est *Desiderium*, nisi Amor porrectus versùs bonum futurum? Quid *Fuga*, nisi Odium se avertens ab imminenti malo, vel se muniens contra ipsum? Quid denique *Lætitia*, nisi Amor exsultans præsentiâ boni adamati? Quid *Mœror* sive *Tristitia*, nisi Odium præsenti malo oppressum & implicatum? Manifestum enim est, omnibus hisce circumstantiis semper subesse & in fundo quasi latere *Amorem* & *Odium*.

6. Unde porrò elucet, quòd Scholastica illa Passionum reductio ad duo illa capita, *Irascibile* scilicet & *Concupiscibile*, modò rectè interpretemur, non tam severiter sit explodenda, præsertim cùm optimorum antiquissimorúmque Philosophorum autoritate munita sit & cohonestata. Intelligo autem hîc eas Passiones solas quæ propriè in *Corde* sedem habent, non quæ in solo *Cerebro*, qualem unicam illam agnoscit *Cartesius*, *Admirationem*. Cæteræ mihi satis rectè videntur reduci posse ad Pythagoreorum ἐπιθυμίαν καὶ θυμόν· quæ planè respondent Scholasticorum *Concupiscibili* & *Irascibili*, quæque non inscitè reddi possunt *Concupiscentia* & *Excandescentia*. Quarum posterior est ille animæ affectus quo excandescit contra quamlibet speciem mali vel ingrati: quam si absque respectu ad tempus considerat, est *simplex Odi-*

um; si imminet malum, *Fuga*, sive Cupiditas amoliendi vel quolibet modo evitandi illud; si præsens sit, *Mœror*, *Tristitia* vel *Ægritudo animi*, quæ nihil aliud est nisi hæc Excandescentia malo præsenti implicata & illigata, miseréque illo vexata.

7. Eadémque ratio est de *Concupiscentia*, quæ, si cum aliqua specie boni vel grati amicè conjungitur, sepositò omni temporis respectu, *Amor simplex* est; si consideratur bonum ut futurum, *Cupiditas* est, sive propriè dicta *Concupiscentia*; si ut præsens, *Lætitia* sive *Gaudium*. Nec tamen desinit esse *Concupiscentia*, quoniam, nisi superveniat fastidium, Amor hic cupit continuationem sui statûs, ac proinde semper subest aliqualis Concupiscentia.

8. Possunt igitur tantùm duæ esse Passiones principales & primitivæ quæ propriè in *Corde* sedem habent, sive eas *Amorem* & *Odium* cum *Cartesio*, sive *Concupiscibile* & *Irascibile* cum Scholis, sive ἐπιθυμίαν καὶ θυμὸν cum *Pythagoreis*, appellare libet. Quod certè notatu non est prorsus indignum, ut mox ex usû illius clariùs patebit.

9. Interea loci, ad pleniorem Passionum intelligentiam, eodem ordine ac distinctione quâ proposuit *Cartesius*, sex suprà nominata genera definiam, singulísque suas proprias species subnectam. Prima est *Admiratio*, quæ est *Passio animæ novitate alicujus Objecti perculsæ, in eóque contemplando attentissimè occupatæ. Admiratio* duplex est, *Existimatio* & *Despectus*. *Existimatio* est Admiratio magnitudinis vel valoris alicujus

Passionum prima Classis.

jus Objecti: *Deſpectus* verò Admiratio parvitatis vel vilitatis Objecti. Hinc facilè intelligitur quid ſit Exiſtimatio ſui & ſui Deſpectus, nempe quando quis cùm affectu inhæret contemplationi propriæ dignitatis vel vilitatis. Eadémque ratio eſt de Deſpectu & Exiſtimatione aliorum, quarum prior *Dedignatio*, poſterior *Veneratio* dicitur.

Eſt autem *Veneratio* Exiſtimatio alicujus liberi Agentis, quod nobis bene vel malè facere poſſe opinamur, cum voluntate noſmetipſos illi ſubjiciendi conjuncta. *Dedignatio* verò eſt Deſpectus liberi Agentis, quod, cùm capax ſit bene vel malè faciendi, adeò tamen infra nos eſſe judicamus, ut nobis neutrum facere poſſit.

10. Secunda claſſis eſt *Amor* & *Odium*. *Amor* eſt *Paſſio animæ quâ excitatur ad ſe voluntate jungendam cum Objectis quæ ipſi videntur grata*. *Voluntate* autem hîc *ſe adjungere* non eſt idem quod *cupere*, id enim ad *Cupiditatem* ſpectat; ſed cum affectu quodam agnoſcere rem eſſe gratam bonámve. *Odium* eſt *Paſſio animæ quâ incitatur ad ſeparandum ſe voluntate ab Objectis quæ ipſi videntur ingrata vel noxia*. Amans cùm Objectum minoris æſtimat ſeipſo, ſimplex Propenſio vel *Benevolentia* dicitur; cùm æquè ac ſe æſtimat, *Amicitia*; cùm majoris facit, *Devotio*. *Amor* qui fertur in res bonas ſimpliciter, *Amor*; qui in res pulchras, *Complacentia* dicitur. Item *Odium* quod refertur ad mala ſimpliciter, *Odium*; quod ad deformia, *Horror* aut *Averſio*.

Secunda Claſſis Paſſionum.

Nec

Nec omittì hîc debet nobilis illa *Amoris* ſpecies quæ στοργὴ appellatur; aut illa *Odii*, quæ *Antipathia*.

Paſſionum tertia Claſſis.

11. Tertia claſſis *Cupiditas* eſt cum ſua propagine. *Cupiditas* eſt *Paſſio animæ quâ in bonum fertur quatenus futurum*. Itaque cùm abſentia mali æquè ac præſentia boni bona ſit, in utramvis ferri poteſt *Cupiditas* quatenus ſunt futuræ. Si quis autem Cupiditatem circa poſterius Objectum *Deſiderium*, circa prius *Fugam*, mallet appellari, nihil renuo. Inter Cupiditates hîc excellunt illæ quæ naſcuntur vel ex horrore vel ex complacentia, ut facilè intelligitur ex antedictis. Nihil enim ità accendit Deſiderium ut *Pulchritudo*, nihil adeò accelerat Fugam ac horrenda quævis *Deformitas*: Omnium autem rerum maximè horrenda vulgò exiſtimatur *Mors*.

12. Ad Cupiditatem reducuntur, primò, *Spes*, *Metus*, *Zelotypia*, *Securitas*, & *Deſperatio*: Deinde, *Animi fluctuatio*, *Animoſitas*, *Audacia*, *Æmulatio*, *Puſillanimitas*, & *Conſternatio*. Priores illæ ſpecies in hoc conveniunt, quòd earum Objectum offert ſe ſub ratione *Facilis* vel *Difficilis*, nec tamen includit ullam à nobiſmetipſis eventi dependentiam. Poſteriores in eo conveniunt, quòd Objectum offertur ut pendens à nobis, cum difficultate vel in electione mediorum, undè provenit *Animi fluctuatio*, vel in exſecutione, quò cæteræ illæ ſpectant.

13. *Spes* eſt *Paſſio animæ quâ diſponitur ad credendum id eventurum eſſe quod cupit*: *Metus* verò,

verò, *quâ disponitur ad credendum non eventurum esse quod cupit. Spes* omnem metum excludens dicitur *Securitas*, vel *Fiducia*; *Metus* verò omnem spem, *Desperatio. Zelotypia* est Metus perdendi bonum quod magni æstimamus à minimis suspicandi cautis ortus.

14. *Animi fluctuatio* est Metus errandi in electione mediorum ad aliquem destinatum finem. *Animositas* est Passio quæ disponit animum ad agendum viriliter in exsecutione rerum ad quas accingitur. Quæ si in rebus cernitur quas aliquod magnum periculum comitatur, dicitur *Audacia:* si verò ex consideratione successûs aliorum excitatur, *Æmulatio.*

Animositati autem opponitur *Pusillanimitas*, ut *Consternatio Audaciæ.* Est verò *Pusillanimitas* languida quædam & frigida Animæ Passio, quæ eam impedit nè feratur ad ea peragenda quæ alioqui facere posset. *Consternatio* autem est Pusillanimitas cum perturbatione & stupore conjuncta, quæ animæ aufert facultatem resistendi malo imminenti.

15. Quarta classis est *Gaudium* & *Tristitia*, quæ respiciunt bonum malúmve præsens. Passiones quæ ad hanc classem reducuntur discriminantur hisce præcipuè circumstantiis. Primò, simplici respectu ad nosmetipsos vel ad alios. Bonum enim præsens prout nosmetipsos spectat parit *Gaudium*, Malum *Tristitiam*: Si malum alteri qui eo dignus est accidit, *Irrisionem* parit; si indigno, *Commiserationem*; si verò bonum indigno obvenit, *Invidiam*; bonum autem contingens alteri quod in nostram etiam

Quarta classis Passionum.

etiam utilitatem aliquo modo redundet, *Congratulationem.*

16. Porrò, considerantur Bonum & Malum, sive ad nos sive ad alios spectant, primò, ratione causæ. *Bonum* enim à nobismetipsis factum parit Satisfactionem sive Animi Acquiescentiam, *Malum* Pœnitentiam, *Dubium* Conscientiæ morsum. Sed Bonum ab aliis præstitum parit *Favorem*, quamvis id nobis non sit factum: sin verò nobis, *Gratitudinem.* Ut Malum ab aliis patratum, si in nosmetipsos non committitur, solùm *Indignationem*; sed si nosmetipsos tangat, *Iram.*

Rursus, respectu opinionis aliorum. Bonum quod habemus excitat in nobis *Gloriam*, Malum *Puderem.*

Denique, respectu temporis. Bonum diuturnum *Satietatem* parit sive *Fastidium*, ut Mali duratio minuit *Tristitiam.* Ex bono autem præterito nascitur *Desiderium* propriè dictum, & ex malo præterito *Hilaritas.*

17. *Gaudium* est *jucunda animæ commotio, sive Passio, in qua consistit Fruitio boni quod ipsa concipit ut suum. Tristitia* est *ingrata Animæ Passio, in qua consistit Incommoditas mali vel defectûs quem ipsa concipit ut suum. Irrisio* est Lætitia orta ex deprehensione levis alicujus mali in persona quæ eo digna putatur. Si sit ex majoribus causis & cum apertiori contumeliæ inferendæ studio conjuncta, rectiùs appellatur *Insultatio. Invidia* est Tristitia orta ex consideratione boni indigno alicui contingentis. *Commiseratio* est Tristitia orta ex consideratione alicujus

cujus mali quod ei qui indignus est accidit. *Congratulatio* est Lætitia orta ex bono alicui obveniente, quod tamen accidisse nostrâ aliquo modo interesse putamus. *Satisfactio* sive *Acquiescentia in seipso* est Lætitia omnium jucundissima, ex opinione alicujus facti quod quis recenter fecit profecta. *Pœnitentia* est Tristitia omnium amarissima, ex conscientia mali alicujus perpetrati orta. *Morsus conscientiæ* est Tristitia orta ex dubitatione an quod fecimus bonum sit nécne. Est autem effectus temeritatis, quando adorimur aliquod opus antequam omnis deposita sit Hæsitatio vel Animi fluctuatio.

18. *Favor* est læta quædam Benevolentia erga eos quorum rectè factis oblectamur. *Gratitudo* est læta quædam Cupiditas benefaciendi illis qui nobismetipsis benefecerunt. *Indignatio* est Tristitia accensa contra illos qui aliquid mali fecerunt. *Ira* est Indignatio contra eos qui aliquid mali nobis ipsis intulerunt, cujus & ulciscendi cupiditate tenemur. *Gloria* est Lætitia orta ex opinione aut spe laudis apud alios obtinendæ. *Pudor* est Tristitia ex opinione aut metu vituperii. *Fastidium* est Tristitia ex eadem causa orta ex qua antè Lætitia emanavit. *Desiderium* propriè dictum est Tristitia ex bono amisso nunquam recuperando. *Hilaritas* est Lætitia ex recordatione mali præteriti.

19. Atque hæc ferè est Passionum enumeratio apud *Cartesium*, (tam Primitivarum, quàm à Primitivis ortarum, vel ex ipsis complicatarum,)

catarum,) cum ipsarum definitionibus ad sensum saltem eximii Philosophi, quàm proximè potui, accommodatis. Ipsam verò complicationem Passionum à primis derivatarum, brevitatis ergô, in præsens omisi, mox opportuniùs subindicaturus.

Quod verò ad *Causas Passionum naturales* attinet abstrusiores magísque reconditas, quæ referuntur ad *Conarium*, ad Cerebrum, ad certos quosdam motus Sanguinis & Spirituum, ad orificia Cordis nunc strictiora, nunc latiora, ad nervos Intestinorum & Stomachi, Lienis & Jecoris, ipsiúsque denique Cordis; has omnes prudens sciénsque prætereo, tum ob alias rationes, tum maximè quòd ad *Naturalem Philosophiam* potiùs quàm ad *Moralem* pertinere existimo. *Effectus* tamen, *Usus Finésque Passionum* tantum abest ut existimem ad *Ethicam* non spectare; ut è contrà potiùs arbitrer selectiorem illius partem earum rerum Notitiam haberi debere.

CAP. VIII.

Passionum Usus & Interpretatio; primóque Admirationis *cum sua Classe, & reliquarum quinque primitivarum Passionum.*

1. Quod igitur *Fines Usúsque* Passionum attinet, non abs re erit aliquantò fusiùs eos

eos prosequi, Naturæque vocem in omnibus quàm fidelissimè potero interpretari. Non parùm enim habiturum est momenti ad rectè Passiones moderandas & utendas, (quæ certè Virtutis maxima pars est,) si intellexerimus ad quem finem Natura, Naturæve Parens Deus, singulas destinaverit, quantíque opera sua ipse æstimet, aut ab aliis æstimari velit. Neque enim à nobis ipsis sunt hi affectus, nec à liberis nostris cogitationibus aut commentationibus profecti, nec alio aliquo modo assumpti vel acquisiti, cùm omnem actionem cogitationémque nostram anticipent, à Parente Naturæ Deo simul cum vita nostra nobis inditi, ut voluptas edendi & bibendi; quam proculdubio Natura omnibus animalibus insevit, ad vitæ suæ conservationem, & ad corporis sanitatem, jucundúmque Facultatum vitæ exercitium. Unde clarè sequitur nihil temere occidendum esse & sine causa; nec ità voluptati edendi potandíve indulgendum, ut perdamus finem illius voluptatis, & morbum mortémve nobis conciliemus.

2. Atque hoc id ipsum est, quod innuunt Pythagorei, τὸ ἄπειρον περαίνειν, *interminatum terminare*. Nam τὸ ἄπειρον, sive *interminatum*, illi in Passionibus ponunt; in Virtute & Ratione τὸ πέρας, sive *Terminum*. Natura verò largiori manu nobis hujusmodi affectus indidit, ut habeat Ratio quod amputet, terminet & circumscribat; nec facilè Anima ad proprias voluptates (id est, Intellectuales) prosequendas tam integrè convertatur, ut animalem vitam prorsus

negligat,

negligat. Unde videmus ſerium eſſe quoddam & pervicax Naturæ propoſitum atque conſilium, ut Statio hæc animalis à mentibus humanis non omnino deſeratur. Sed hæc obiter de Affectibus qui ad corpus ſpectant. Ad Paſſiones propriè dictas recurramus, earúmque *Fines* & *Uſus* eo ferè quo propoſuimus ordine perpendamus.

3. Primò igitur, de *Admiratione* manifeſtum eſt, quòd inſerviat ad fortiùs imprimendum memoriæ rerum novarum obſervationes, ut hâc ſupellectile anima ſatis inſtructa perveniat ad cognitionem utiliſſimarum veritatum. Unde ſiquis teneatur cupidine contemplandi res novas eo ſolùm fine ut admiretur, planè perdit finem hujus Paſſionis, & in merum abit Mirionem. Quòd autem Natura nobis indidit affectus *Exiſtimationis* & *Deſpectûs*, inmuit non omnia perinde in eodem pretio à nobis eſſe habenda. Quòd ſi ſit deterius & melius, eſt certè illud quod optimum eſt, & ad quod nos oportet, Naturâ duce, aſpirare.

4. *Sui ipſius Exiſtimatio* Paſſio mixta eſt ex *Admiratione*, *Lætitia*, & *Amore propriæ conditionis*. *Sui* verò *ipſius Deſpectus* ex *Admiratione*, *Triſtitia*, & *Amore proprio* cum *Odio defectuum ſuorum conjuncto*. Utraque Paſſio innuit Omnem hominem aut eſſe aut debere eſſe aliquid, eóque loco haberi ut ſit ſupra omnem injuriam & contemptum. Nam cùm tam facilè adducimur credere noſmetipſos eſſe aliquid, cùm tamen non ità multùm ab aliis differamus; certè æquum eſt ut alios etiam homines aliquid eſſe exiſti-

æxiſtimemus, & humaniter & officiosè tracte-mus. Humanitas igitur morúmque civilitas æ-què ac diligentia atque induſtria ad aſſequen-das res optimas hiſce Paſſionibus à Natura in-digitantur.

5. Quod verò ad eam ſpectat *Suiipſius Ex-iſtimationis* ſpeciem quam *Generoſitatem Carte-ſius* appellat, quâ quis ſe æſtimat ex ſincero uſu liberi ſui arbitrii, putátque ſe non debere contemni cùm Virtutem ſequatur quàm perfe-ctiſſimè poteſt, nec careat voluntate ſuſcipi-endi & exſequendi quicquid recta Ratio præ-ſcripſerit; hujus certè Paſſionis uſus, quam no-bis indidit Natura, maximè omnium inſignis eſt, cùm tantum calcar ſit ad ſummam aſſe-quendam felicitatem. Maxima enim refectio & corroboratio animi eſt contra omnes homi-num contemptus aſperáſque fortunas Sincerita-tis ſuæ conſcientia.

6. *Veneratio* Paſſio complicata eſt ex *Admira-tione* & *Timore*. Utilitas refertur ad Politicas Societates & Religiones; nec obſcurè indicat obediendum eſſe Magiſtratui, Deúmque eſſe ac Divinam Providentiam.

Dedignatio componitur ex *Admiratione* & *Securitate* vel *Audacia*. Hæc Paſſio non om-nino inutilis eſt ad pacem animi & tranquil-litatem, dum non ſinit ſe vel minis vel pol-licitationibus hominum impotentium ad Vir-tutem veritatémque deſerendam moveri. Hu-juſmodi fuit in *Socrate* contemptus erga *Any-tum* & *Melitum*, cùm ſecurus eſſet quòd, tametſi eum occidere poſſent, non poſſent ta-

men lædere. Atque hæc breviter de *Admiratione*.

7. Quod ad ſequentes quinque Paſſiones primitivas attinet, *Amorem*, *Odium*, *Gaudium*, *Triſtitiam* & *Cupiditatem*; uſus earum manifeſtiſſimus eſt; binæque priores in quintam ſemper deſinunt. Nam quicquid grati accidit excitat Gaudium ſive Voluptatem; Voluptas quæ ſentitur conciliat Amorem illius quod eam excitat; Amor denique Cupiditatem augendi, continuandi, aut repetendi aliquando hanc voluptatem. Ità ſi quid ingrati accidit, Triſtitiam ſive Dolorem parit; Dolor Odium cauſæ hujus doloris; Odium verò Cupiditatem amovendi ſe ab hac cauſa. Atque in his ſolis ferè conſiſtit ſalus & conſervatio omnium Animalium. Et, quod notatu dignum eſt, illæ Paſſiones quæ maximè omnium ſunt ingratæ non minùs hoc officium præſtant quàm quæ gratiſſimæ, *Triſtitiam* intelligo & *Odium*; propterea quòd Vita hæc malorum præſentiâ æquè ac defectu bonorum perditur.

8. Imò verò Natura videtur majori cum ſolicitudine amoliendis malis proſpexiſſe quàm voluptati fruendæ: ut videre eſt in efficaciſſima illa eloquentia quâ pleraque Animalia inſtruxit ad movendam commiſerationem opémque impetrandam quando triſtitiâ & dolore opprimuntur. Qualis eſt ille querulus flebiliſque Vocis tonus, Oculus vultúſque mœſtus & dejectus, Ejulatus, Gemitus, Lacrymæ, Suſpiria, & id genus reliqua, quæ certè vim maximam habent ad permovendum miſeratione animum, quò

quò promptiùs opem feramus, aut maturiùs abſtineamus ab incepta injuria.

9. Neque omnino deeſt Natura in ea parte quæ ad Voluptatem conciliandam pertinet. Actio enim oculorum vultûſque quando lætamur multò gratior eſt aſpicienti multóque jucundior. Quod Lætitiæ effectum tanquam illecebras quaſdam ad morum urbanitatem mutuúmque placendi ſtudium Natura deſtinavit; quemadmodum priora illa Doloris effecta ad retrahendum nos ab omni injuria immerentibus inferenda, & ad exſtimulandum nos ad opem maturè ferendam miſeris & calamitoſis. Quòd verò Lætitiæ extremæ effectum ſit aliquando *Lipothymia*, neſcio an non Natura indè nobis ſubinſinuare velit, quòd Anima noſtra majoris ſit capax voluptatis & felicitatis quàm ferre poteſt præſens hujus terreſtris corporis ſtatus.

Quod igitur ad *Amorem* & *Odium*, *Dolorem* & *Lætitiam* attinet, Interpretatio eorum hæc eſt; ut quod bonum eſt nobiſmetipſis aliiſque, quantum poſſumus, conciliemus atque procuremus; neminem verò lædamus, ſed è contrà malum tum à nobiſmetipſis tum ab aliis quàm diligentiſſimè & officioſiſſimè amoliamur.

10. Omnis autem Diligentia animatur à *Cupiditate*, quæ Paſſionum excitatiſſima eſt; utpote quæ, cùm cor agitet violentiùs quovis alio affectu, plures ſpiritus cerebro ſuppeditat, qui redundantes in membra corporis agilius ipſum efficiunt & vegetius, animámque gratæ cuidam activitati & alacritati aſſuefacit, quæ aliàs defectu objecti quod eam exſuſcitet flacceſcere poſſet

posset & torpere. Nam, (quemadmodum recte alicubi monet *Verulamius*,) *Vita humana sine proposito vaga est & languida.*

Sed si feliciter & cum successu *Cupiditates* ferri velimus, cavendum est nè in ea deriveturobjecta quæ non sunt in nostra potestate; nec vehementiori impetu feratur in ea quæ sunt, quàm corpus hoc caducum & mortale patiatur.

Nam ea quæ in nostra potestate sunt absolute cupere festinantius quàm vires ferunt, contrarium esset atque si rursus irretiremur iis rebus quæ simpliciter in potestate nostra non sunt. Unde malesana hæc Cupiditas non tam alacritatem pareret quàm anxietatem & cruciatum.

Denique, cùm tam clarè pateat qui sit Cupiditatis finis, nempe, ut vires accendat ad executionem Instituti, deponenda omnino est hæc Passio, nisi cùm in procinctu stamus ad ea sequendum ea quæ agenda decrevimus. Alioqui inutilis hic ardor, (præsertim in tenuioris corporis constitutione) inflammando spiritus vires exhauriet, corpus arefaciet, sanitatique illius maximopere officiet.

CA

CAP. IX.

Usus & Interpretatio Passionum quas secunda Classis complectitur, Amoris scilicet & Odii.

1. INter *Amoris* species præcipuè considerandæ sunt *Devotio*, *Complacentia*, & ἔρως. Inter species *Odii*, *Horror*, & *Antipathia*. Per *Devotionem* erudimur tanquam per vivam Naturæ vocem ad credendum aliquid esse quod nobismetipsis charius & antiquius habere debeamus, & pro quo capita nostra devovere non dubitemus. Hujus igitur Passionis usus ad Politicam potissimùm spectat & Religionem, quæ sine Virtute nulla est. Debentur igitur hujus Affectûs officia Principi, Patriæ & Religioni, hoc est, Deo veræque Virtuti. Unde palàm est eos errare contra lumen Naturæ qui docent summam Sapientiam in eo positam esse, ut quis se vitámque suam cæteris rebus omnibus ubique præponat.

2. Ex *Complacentia* & *Horrore* monemur res quasdam esse pulchras, alias deformes, contra sordidam istam quorundam opinionem qui hoc rerum discrimen explodunt, &, ut plurimùm, cum illo Vitii Virtutísque; quæ ferè nihil aliud est quàm Symmetria Passionum quoad gradus & objecta, ut externa corporis Pulchritudo Symmetria partium cum decoro quodam gratóque earum gestu & actione conjuncta.

Quod id ipſum ferè eſt quod etiam in *Quæſtionibus Tuſculanis* notavit *Cicero*. Et ut Corporis eſt quædam apta figura membrorum cum coloris quadam ſuavitate, eáque dicitur Pulchritudo; ſic in Animo opinionum judiciorúmque æquabilitas & conſtantia cum firmitate quadam & ſtabilitate, Virtutem ſubſequens aut Virtutem ipſam continens, Pulchritudo vocatur. Naturalis igitur hæc Complacentia atque Horror deducere nos debent ad amorem Virtutis & Vitii averſationem; quarum altera rerum omnium pulcherrima eſt, altera maximè deformis. Lib. 4.

3. Uſus verò peculiaris illius Complacentiæ quæ vulgò *Amor* dicitur manifeſtò refertur ad propagationem liberorum. Quæ Paſſio, ſi ſit omnium importuniſſima, oſtendit Naturæ ſolicitudinem de continuanda humana ſpecie. Quod ſanè facit tanto aſtu & induſtriâ, ac ſi mallet Præſtigiatrix videri atque Incantatrix quàm homines ad opus tam neceſſarium non efficaciter rapere. Sed cùm finis hujus ardoris tam conſpicuus ſit, monemur ad quam menſuram ſit moderandus.

4. Quemadmodum verò Amor liberos gignendos reſpicit, ità στοργὴ genitos. Quæ ſi ſit major in parentibus erga liberos quàm viciſſim, planè innuit hujuſmodi Paſſiones pro uſu ipſarum magis minúſve à Natura Creaturis inſeri. Major enim utilitas eſt affectûs parentum erga liberos (ut qui multò præſtant conſilio & viribus) quàm affectûs liberorum erga parentes; multóque rariùs accidit ut hi ipſorum

ſorum ope indigeant quàm ut illi horum. Atque hinc menſuram ſumere debemus attemperandæ huic Paſſioni, nè nimiâ indulgentiâ viventes lædamus, mortuóſve affectu nimio inutiliter proſequamur.

5. Denique, *Antipathia*, quæ *Odii* quædam ſpecies eſt, ſed ex cauſis nata magis abditis, hunc uſum habet, ut, quaſi dato ſigno, nobis ab eo caveamus inter quem & noſmetipſos hunc Naturæ diſſenſum percipiamus intercedere, præſertim niſi ſit vir bonus; qualis ſi ſit, ſuſpicandum eſt nè ipſe ſis malus. Unde obſirmato animo amicitiam cum ipſo colas, ſi poſſis; nihil enim periclitabitur præter improbitatem tuam.

CAP. X.

Paſſionum tertiæ Claſſis, quas Cupiditas *ducit, Uſus & Interpretatio.*

1. *Cupiditatis* ſpecies primæ ſunt *Spes*, *Metus*, *Zelotypia*, *Securitas*, & *Deſperatio*; alteræ, *Animi fluctuatio*, *Animoſitas*, *Audacia*, *Æmulatio*, *Puſillanimitas*, & *Conſternatio*.

2. *Spes* ex Lætitia & Cupiditate componitur, *Metus* ex Cupiditate & aliquali Triſtitia. Eſt enim Imaginatio debilis quidam ſenſus, ut ait *Ariſtoteles*; Senſus verò præſentium, ut etiam Triſtitia & Lætitia. Eventus autem animo præſentes ſunt, quamvis non ſint re ipsâ, ac proinde & præſentes & abſentes ſunt, poſſúnt-

que esse objecta tam *Lætitiæ* vel *Tristitiæ* quàm *Cupiditatis*. Usus *Spei* est, ut prolectemur ad agendum; *Metûs*, ut cautè & diligenter agamus.

3. Est autem usus quidam specialis & præcipuus hujus Passionis qui refertur ad res Politicas. Cùm enim maxima pars hominum impii sint, vix ulla Civitas stare posset, si pœnarum formidine in officio non continerentur.

4. *Zelotypia* componitur ex Cupiditate, Tristitia & Existimatione. Ejus proprius usus cernitur in curandis & tutandis rebus maximi momenti. Unde eam adhibere rebus minoris pretii inhonestum esset & ridiculum.

5. Ex quibus Passionibus *Securitas* componitur & *Desperatio*, planè liquet ex antedictis: cùm *Securitas* nihil aliud sit quàm Spes omni metu libera; *Desperatio* nihil nisi Metus omni spe destitutus. Prioris usus est contra nimiam vel superfluam curam & diligentiam. Posterior inservit avellendo animo ab Instituto non successuro, ut ad ea quæ meliùs succedere possint convertatur.

6. *Fluctuatio animi* componitur ex Cupiditate & Tristitia. Usus illius est, ut in electione rerum non erremus. Vexatio autem illa quæ eam comitatur à Natura Indicatio est quòd una res alteri multò præstat, quódque maturè omnem diligentiam adhibere debemus ad dispiciendum quid sit optimum, & quæ maximè ad illud assequendum aut retinendum accommodata; atque adeò vitam nostram ex deliberatis quibusdam destinatisque Principiis &

Judi-

Judiciis instituere, à quibus certo & confirmato animo apud nosmetipsos decrevimus non esse recedendum.

7. *Animositas* & *Audacia*, utræque componuntur ex Cupiditate, Lætitia & Tristitia; sed ità ut Lætitia Tristitiam multùm superet: cùm Tristitia sit ex objecto periculo, quod tamen præ excellentia finis aggrediendi periculi ferè contemnitur; Lætitia ex certitudine finis assequendi. Hujus affectûs usus præcipuus est in liberando Patriam aut Principem ab hostibus, & in testimonio perhibendo Veritati quantumvis cum extremo vitæ nostræ periculo, ut aut immortalem gloriam, aut æternam vitam, consequamur.

8. *Æmulatio* componitur ex Cupiditate, Lætitia & Existimatione. Usus cernitur in præclaris Virtutum exemplis ad quæ imitanda hoc affectu nos stimulat Natura. *Pusillanimitas* componi videtur ex his omnibus, Cupiditate, Spe, Metu & Existimatione, sed gradu valde remisso. Hujus præcipuus usus est circa objecta non magni sanè pretii, quamvis à quibusdam fortè haud parvi æstimentur. *Consternatio* componitur ex immensa Admiratione, Cupiditate & Tristitia. Videtur autem esse quædam à Natura Exprobratio & Monitio, quàm turpiter eâ animi præsentiâ careamus quâ semper cinctos & armatos nos esse oportet contra omnes inopinatos Fortunæ incursus. Idémque ferè illius usus est & significatio quæ *Animi fluctuationis*, ut bene subductis rationibus in numerato habeamus quid agendum

dum ſit in unoquoque caſu, quidque patiendum, & quo utrumque demum modo.

9. Porrò, ſubinſinuare videtur horrendum aliquod & ſtupendum in Natura periculum latere, quod maximè proprium hujus Paſſionis ſit objectum, ad quod tamen parati ſemper eſſe debemus, ſive hoc ſit uniuſcujuſque Mors particularis, ſive Univerſi Solutio, de qua non ſolùm fabulati ſunt Poëtæ, ſed & Sapientes ſeriò philoſophati,) ut;

Si fractus illabatur Orbis,
Impavidos ferient ruinæ.

Hoc enim videtur Sinceritatis & Innocentiæ ab ipſa Natura promiſſum præmium. Atque hæc de Paſſionibus tertiæ Claſſis.

CAP. XI.

Interpretatio & Uſus Paſſionum quartæ Claſſis, quam conſtituunt Gaudium & Triſtitia.

1. Quartæ Claſſis Paſſiones ſunt, Primò, *Irriſio, Commiſeratio, Invidia, Congratulatio*: Deinde, *Satisfactio, Pœnitentia, Morſus Conſcientiæ*; item *Favor, Gratitudo, Indignatio, Ira*: Tertiò, *Gloria* & *Pudor*: Poſtremò, *Faſtidium, Deſiderium*, & *Hilaritas*.

2. *Irriſionis* utilitas præcipuè refertur ad leviuſculas

uſculas humanæ vitæ ſordes ac deformitates everrendas & detergendas. Ex hoc fonte emanavit *Poeſis Satyrica*; quemadmodum ex Amoris effectis & Audaciæ *Epica* originem duxit & *Tragœdia.* Neque enim *Satyrica* tam ipſa Vitia quàm circumſtantias ipſorum maximè ridiculas inſectatur.

Irriſio componitur ex Lætitia & Odio; & ſi malum ex inopinato accidit, comitatur *Cachinnus.* Eſt autem Objectum *Riſûs*, quemadmodum *Ariſtoteles* (ſi rectè memini) alicubi monet, *κακὸν μὴ φθαρτικὸν*, *malum minimè exitiale.* Unde non dubito quin ſuboriri poſſit ubi nullum omnino ſubeſt odium. Poteſt enim ſolummodo eſſe Congratulatio quædam & Hilaritas quòd malum non magnum erat, quamvis inopinatum, & quòd tam expeditè & dexterè erat ſuperatum.

3. Objectum igitur illius in hiſce locis bonum eſt: Et quodammodo etiam ubi malum non ſuperatur, hoc eſt, ubi res non redintegratur, ſi jactura ejus non magni ſit momenti. *Parvum enim malum rationem habet boni.* Unde videtur *Riſus* quaſi vox Naturæ ſibiipſi plaudentis quòd, cùm ſit propenſio quædam effrænis lubricæque Materiæ ad magna multifariáque Infortunia, ità tamen à Conſilio Divino proſpectum ſit, ut in valde leves & tolerabiles Offenſiunculas abeant. Quod certè meritò Lætitiam excitet.

Quòd ſi quis oblectare ſe poteſt Fatuorum aut Maniacorum ſpectaculis & deliriis, indicium eſt ipſum non ſatis magni æſtimare Mentis ſanitatem.

tatem. Quod si faceret, contristaretur magis ex horum conspectu quàm laceri cujusvis cadaveris miserèque dilaniati.

4. *Commiseratio* misetur ex Amore & Tristitia. Ejus usus manifestò refertur ad miseros succurrendos & ad Justitiam tuendam, nè quis insons extremo plectatur supplicio, cùm tam immane facinus ipsa Naturæ viscera lancinaret, gemitúsque & suspiria ex omnium mortalium præcordiis eliceret. *Invidia* componitur ex Tristitia & Odio. Ejus utilitas præcipuè refertur ad munera honoréque rectè distribuendos. Neque enim hæc Passio vitium illud est quod meritò omnes explodunt, sed optimus à Deo datus affectus. Quem & ipse plùs semel notavit *Aristoteles* Nemesin appellari, ἀπὸ τῆς ἴσης διανεμήσεως, *à justa cuique distributione*; officiúmque boni viri esse contendit, in *Rhetoricis*, condolere iis qui immeritò infelices sunt, eorúmque misereri; iis verò qui immeritò felices sunt indignari, sive invidere. *Injustum enim est*, inquit ille, *quod præter meritum fit: unde Diis ipsis hanc indignationem attribuimus.* Quæ tamen eadem Passio est atque hæc *Invidia* quam suprà definivimus. *Lib. 2. cap. 9.*

Ex hisce Passionibus igitur *Commiserationis* & *Invidiæ* monemur tanquam ipsius Naturæ voce aliquid esse justum, & injustum, vel æquum, & iniquum; atque hoc fugiendum esse, illud verò amplectendum.

5. *Congratulatio* componitur ex Amore & Lætitia, potéstque esse stimulus ad communem Benefi-

Beneficentiam. Nam qui hâc virtute præcellit, debetur illi proſperitatis ſuæ communis omnium Congratulatio.

Satisfactio ſive *Acquieſcentia in ſeipſo*, quemadmodum etiam *Pœnitentiæ* & *Conſcientiæ morſus*, manifeſtò omnes faciunt ad ſervandam bonam Conſcientiam. Indicant porrò planiſſimè diſcrimen Benefactorum & Malefactorum, liberóque nos prædiros eſſe Arbitrio. Eſt enim hæc *Acquieſcentia* ſive *Satisfactio* nihil niſi plauſus quidam & exſultatio animæ ex rectè facti conſcientia. Qui certè affectus valde ſtolidus eſſet, ſi non eſſent quæ rectè fiunt, quæque ſecús. Quanquam fatendum eſt pleroſque homines fœdiſſimè aliquando hallucinari circa Objectum hujus Paſſionis, ſibíque tum maximè applaudere tanquam re bene geſtâ, cùm atrociſſima Flagitia commiſerunt.

6. Cujus dementiæ nullum eſt inſignius ſpecimen, quàm quod ipſe *Carteſius* nobis ante oculos ponit de Hypocritis quibuſdam & Superſtitioſis, qui, eò quòd ſæpe frequentent templa, multas recitent preces, capillos tonſos habeant, à cibis abſtineant, eleemoſynas largiantur, ſe planè perfectos putant, omnéque quod ipſis ſua Paſſio ſuggerit bonum zelum eſſe; etſi quandoque ſuggerat maxima crimina quæ in homines cadere poſſint, ut prodere urbes, trucidare Principes, exterminare integros populos, ob id ſolùm quòd ſuas opiniones non ſequantur. *De Paſſ. Anim. part. 3. Artic. 190.*

7. Quod verò *Pœnitentiam* attinet, ſi omnia

nia fierent *necessariò*, perinde ridiculus esset omnis ex malefacti conscientia dolor, ac si Rusticum pœniteret quòd non natus sit Nobilis, aut fœminam quòd non nata sit mas. Eadémque ratio est de *Morsu Conscientiæ*, qui planè innuit, si in electione erremus, quòd id culpâ nostrâ fit, quódque poteramus meliorem feciſſe electionem. *Favor* etiam & *Indignatio* idem ferè ſignificant. Ex hoc enim illæ oriuntur Paſſiones, quòd quædam rectè ab hominibus fieri arbitremur, quædam contrà.

8. *Gratitudo* verò videtur pars quædam naturalis Juſtitiæ commutativæ; ut *Commiſeratio*, *Invidia*, *Favor*, *Indignatio*, Juſtitiæ diſtributivæ partes quaſi quædam naturales videri poſſunt. Ipſa verò *Ira* præter cæteras. Eſt enim Vindicta Juſtitiæ punitivæ pars conſpicua, quam *ἀνταπόδοσιν in retaliatione* potiſſimùm collocârunt *Pythagorei*, teſte *Ariſtotele*.

Ad Fortitudinem etiam *Ira* facit perinde atque *Audacia* & *Animoſitas*; quemadmodum innuit non inelegans illa *Thebgis* ſententia: *Ira enim & Cupiditas ad principem Animæ partem ita ordinantur, ut altera illius quaſi ſatelles ſit corporiſque cuſtos, altera œconomus & curator neceſſariorum.* *Cupiditatem* Opſonatori, *Iracundiam* Militi comparat. Eſt autem *Ira* Paſſio compoſita ex Odio, Cupiditate & Amore ſuiipſius, directè *Gratitudini* oppoſita, ut *Indignatio Favori*. Sed hiſce aliis tribus Affectibus longè vehementior eſt, quia Cupiditas repellendi res noxias & ſeſe ulciſcendi eſt omnium urgentiſſimum, ut rectè monet *Carteſius*.

9. Neque

9. Neque eò magìs abhorrendum est ab hac Passione quòd miscetur cum Odio: Est enim totius θυμοειδοῦς sive *Irascibilis* (quod Scholæ vocant) familia valde utilis & necessaria, cùm nostra magìs intersit amoliri mala quàm gaudere bonis non necessariis. Qui igitur se totum ad *Concupiscibilis* motus componit, prætexendo nescio quam speciem pacis & dulcedinis, caveat nè evadat Pietatis Boníque publici proditor. Nam si *Irascibile* quis in integrum deponit, vafer est, aut mollis, aut uterque, & quí nunquam esse poterit δορυφόρος ἱκανὸς καὶ πιστὸς σωματοφύλαξ τῆς ἀρετῆς, (quemadmodum loquitur *Theages*,) h. e.

Virtutis verus custos rigidúsque satelles.

10. Est etiam *Gloriæ* & *Pudoris* usus excellentissimus. Prior enim ad omnia præclara perpetranda stimulat; posterior à rebus turpibus avocat & deterret, adeò ut sit quasi Arx quædam Virtutis atque Vallum. *Gloria* ex Lætitia, Amore suiipsius & Existimatione componitur: *Pudor* ex Tristitia, Amore suiipsius & aliquali Despectu. Unde *Pudor* nec in pessimos nec in optimos cadit. Nam qui sibi conscius est se libero suo arbitrio constanter uti ad ea quæ optima sunt, novit se non debere contemni, ac proinde omni contemptu superior ipsummet contemnit contemptum; quæ magna pars est *Generositatis*: in improbis verò summum Improbitatis fastigium; Impunitas enim peccatorum data videtur eis qui & ignominiam & infamiam ferunt sine dolore. *Tuscul. Quæst. lib. 4.*

11. Est igitur harum Passionum, *Pudoris* nempe atque

atque *Gloriæ*, satis facilis Interpretatio. Utræque enim indicant communi hominum judicio potiùs standum esse quàm proprio. Quod nimirum facit non modò ad Morum venustatem, sed ad Obedientiam Politicam. Nam ex hoc instinctu Naturæ docemur quòd nemo privatus debet quicquam contra Leges committere; quoniam *Lex est totius populi, de rebus, sententiæ vel opinionis testimonium, indicans quomodo agenda sint singula*, definiente *Aristotele*. *Pudor* autem ille naturalis sive *Verecundia* quæ est circa voluptates corporis nos monet, eas non satis esse dignas hominis præstantiâ, ac proinde contemni & rejici oportere; quod scitè alicubi innuit *Cicero*.

Rhet. lib. 1. cap. 1.

12. Quòd verò etiamnum in nobis obtinent instinctus illi *Pudoris* ac *Gloriæ*, cùm tamen ubique terrarum quasi maximum quendam Turpitudinis Magistrum ac Fautorem populum habeamus, atque omnem undique ad vitia consentientem multitudinem; subindicare videtur quòd humanum genus in præstantiori aliquando positum fuerit statu & conditione.

Cæterùm ut res nunc sunt, summopere cavendum est nè præ pudore aut popularis gloriæ aucupio id quod reverâ honestum est deseramus; qui perniciosissimus esset harum Passionum abusus. Nullum igitur Theatrum Virtuti Conscientiâ majus habendum est, quæ dum tibi ob tua rectè facta plaudit, reliquorum mortalium sibilos & obloquia omnino contemnere Heroicum est. Illi pudore suffundi debent qui malè faciunt, non qui ob bene facta malè audiunt

diunt aut iniqua patiuntur. Eſt enim vera Virtus, ut & ipſa Philoſophia, paucis, quod ait *Cicero*, contenta judicibus, multitudinem conſultò ipſa fugiens, eíque ipſi & ſuſpecta & inviſa. Contemnamus igitur omnes ineptias, prout ille monet, totámque vim bene vivendi in animi robore ac magnitudine, & omnium rerum humanarum contemptione & deſpicientia, conculcatiſque vanis falſiſque hominum opinionibus, in omni demum Virtute veritatéque ponamus. *Tuſcul. Quæſt. lib. 2. Tuſcul. Quæſt. lib. 4.*

13. Denique, quantum ad *Faſtidium*, *Hilaritatem* & *Deſiderium*: *Faſtidii* utilitas refertur ad Temperantiam. Ea enim ferè ſunt quæ faſtidire ſolemus, quorum uſûi aliquando plùs juſto indulſimus. Monemur porrò, ex eo quòd omnium rerum corporearum uſus diuturnior faſtidium parit, animum ad res intellectuales convertere, maximéque omnium ad Deum.

Hilaritatis uſus præcipuè ad Tolerantiam ſpectat. Debemus enim eò lubentiùs quæ ingrata ſunt ſuſtinere, quoniam majori tandem compenſabuntur lætitiâ. Quo genere argumenti videtur uſus eſſe *Æneas* ad ſuos Comites,

Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.

14. *Deſiderium* componitur ex Triſtitia, Amore, Deſperatione & Cupiditate. Uſus illius eſt ad acuendam diligentiam in conſervando bono quod poſſidemus, cùm illius jacturam tantus comitaturus ſit cruciatus. Vis hujus affectûs præcipuè cernitur in obitu amicorum, aliorúmve hominum pulchritudine corporis

animíque dotibus præcellentium, & de humano genere ex præclarè gestis optimè meritorum.

Horat. l. 1. Od. 24.

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam chari capitis? P. præcipe lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam Pater
Vocem cum citharâ dedit.

15. Hæc Passio igitur prima docuit mœstos mortales Pompam funebrem instruere, flebilibúsque Threnodiis dulcem illam & decoram animi amaritudinem majorem in modum accendere; Memoriam mortuorum elogiis & monumentis æternitati consecrare; tandémque (quod tamen omni funere magis dolendum est) eò insaniæ erumpere, ut templa & aras defunctis exstruere non dubitârint, & tanquam si Dii statim facti essent, postquam homines esse desiverant, invocare ipsos, votaque nuncupare, adeóque humanam vitam turpissimâ Superstitione & Idololatriâ conspurcare. Qui omnium pessimus est hujus Passionis abusus.

CA

CAP. XII.

Quòd propriè dictæ Passiones omnes in se bonæ sunt, quódque ex ipsarum Interpretatione constat aliquid esse suâ naturâ bonum & malum; & quæ tandem sit illa natura sive essentia Boni Malique.

1. CÆterùm quòd in se tum hæ tum reliquæ propriè dictæ Passiones omnes bonæ sunt, si non eis abutamur, ex prædictis clarè constat, Affectúsque esse (quemadmodum monet *Theages*) παρόρμησίν τινα καὶ ἐνθουσιασμὸν τῆς κατὰ φύσιν ἀρετῆς, *Impetum quendam & Enthusiasmum illius virtutis quæ à sola Natura est*, absque electione & deliberatione nostra. Enthusiasmi enim est *impetu ferri absque ratione ad agendum aliquid*, ut suprà notavi ex *Aristotele*. Itaque cùm omnem deliberationem & electionem nostram Affectus hi antevertant, à Deo planè sunt & à Natura; ac proinde omne illud quod illi bonum æquúmque esse indicant est reverâ bonum æquúmque, & quod amplectendum est & præstandum à nobis tam erga nosmetipsos quàm erga alios, quousque fieri potest citra tertii alicujus injuriam. *Magn. Moral. lib. 2. cap. 8.*

2. Est enim hæc lex Naturæ in Animali Regione regnans confusum quasi quoddam murmur & susurrus Divinioris cujusdam legis, cujus vox multò articulatior est in Regione Intellectuali.

ctuali. In inferiori autem hac Regione ille cauſæ ſtatus ſæpenumero occurrit qui à Juriſperitis vocatur *Caſus omiſſus.* Unde crebras oportet fieri Provocationes ad Rationis Tribunal de tempore, de menſura, déque aliis Actionum Circumſtantiis. Ea enim eſt Rationis natura, ut & *diſtinctiùs* & *ſeparatiùs* dijudicet quàm lumen Animale ſive Lex Paſſionum. *Diſtinctiùs*, ut quæ facultas eſt quæ examinare poteſt naturas rerum earúmque circumſtantias, cùm Paſſio ſit cæcus tantummodo & indefinitus Impetus ad rem ſine omni naturæ rei notitia: *Separatiùs* & *abſtractiùs*, ut quæ non quærit quid bonum vel gratum ſit huic vel illi perſonæ, ſed quid ſimpliciter bonum meliúſve eſt & gratum gratiúſve eſſe oportet in datis circumſtantiis.

3. Hæc enim eſt indoles omnis Intellectualis facultatis, prout ſuprà monui, non quid huic vel illi, ſed quid ſimpliciter verum bonúmve eſt, percipere & definire. Unde palàm eſt, quicquid Intellectuale veréque Morale eſt, eſſe Divinum quiddam Deóque affine, quem ſcitè admodum appellat *Ariſtoteles* Νόμον ἰσοκλινῆ, *Legem quoquoverſum æqualiter inclinantem.*

4. Quàm autem Divinum illud eſſet & Intellectuale Documentum, *Licitum eſſe quicquid Paſſio ſuadet*, quamvis alicujus ratio pertenderet id abſtractè & in genere definiri poſſe tanquam præcipuum humanarum Actionum Fundamentum, nemo non videt. Quis enim niſi turpe aliquod Paſſionum mancipium tam

insanam sententiam proferret? Unde palàm est, non ex Ratione, sed Affectu, depromi. Nunquam enim committet recta Ratio ut tale Fundamentum humanarum actionum ponat, quo nihil efficacius est non solùm ad perturbandas, sed ad evertendas res humanas penitúsque delendas.

5. Nam ex hoc Principio statim sequetur, quòd quis rectè & licitè non solùm domum, sed totam urbem ubi habitat, noctu clàm faces ædificiis submittens, incendiis posset vastare, puteos publicos venenis inficere, uxorem & liberos trucidare, vel oculos ipsis effodere, & manus nasúsque amputare, sine omni causa, nisi quòd hoc volupe est, præsentíque sic litatur Passioni. Quod Fundamentum cùm omnium sit falsissimum, & à Natura humana maximè alienum, continuò sequitur, proprium cujusque Affectum non esse mensuram boni vel mali, sed Affectus ipsos ab alio aliquo Principio limitari debere.

6. Proximum autem Principium quo limitentur Passiones, & quod in datis circumstantiis quid bonum est vel malum novit definire, *Ratio* est. Quod verò rectæ Rationi bonum vel malum videtur, id revera suâque naturâ bonum est vel malum. Est enim hæc à mente nostra rectè concepta Ratio ipsius rei formalis ratio, sive natura vel essentia sibi repræsentata: quemadmodum Trianguli natura vel essentia illa est quam recta Ratio sibi repræsentat.

7. Unde clarè constat esse certas quasdam fixásq;

Boni & Mali Notiones vel Ideas, quemadmodum ſunt Figurarum in Mathematicis, quas Affectus non magis definit quàm Senſus Figuras; ſed utraſque Ratio & Intellectus circumſcribunt; has ex certo ductu & complexu linearum, illas ex debito & indebito circumſtantiarum concurſu, ex quo variæ ſpecies & denominationes boni & mali oriuntur. Unde demum patet, quod dixi, Principium illud quo bonum malúmque Morale dijudicatur Intellectuale eſſe, & quodammodo Divinum.

8. Quod cùm ſit, non poteſt non deprehendere Divinum aliquid etiam in lege Animali (quæ à Natura Naturæque Parente Deo profecta eſt) latitare, ipſiúſque Indicationes non ſemper ſequi debere, niſi quid melius, omni affectu & præjudicio ſepoſito, dijudicetur. Quo uno dato, (quod tamen nemo niſi mente captus negare poteſt,) infinita ſeges indè ſuccreſcet Inſtantiarum earum rerum quæ ſuâ naturâ juſtæ vel injuſtæ, honeſtæ vel turpes, dicendæ ſunt, ut cuivis percurrenti præcipuas Paſſionum Indicationes quas ſuprà notavimus planè conſtabit. Nam proculdubio ea naturi juſta ſunt vel injuſta, honeſta vel turpia, quæ vox Dei in Natura ità eſſe declaravit. Quod Poriſma in humana vita inæſtimabilem uſum habet ad contundendam eorum audaciam qui tam perfrictâ fronte contendunt omnia perinde, ſi lubet, licere.

9. Verùm interea videmus tantum abeſſe ut Affectus animi exterminandi ſint, ut potiùs (quod & ſuprà innui) eodem ferè loco ſint habendi

habendi quo ipsa corporis organa, sùm æquè distinctos usus ac illa habeant, cúmque non solùm sint virtutum materia, sed ex illis effulgeat non prorsus evanidum ipsarum Virtutum Simulacrum vel Imago. Ipsæ igitur Passiones nos ad Virtutem ducent tanquam δᾳδ͂χοι quædam sive λαμπαδηφόροι, *tanquam faces lampadáve nobis præferentes*, si rectè eas nôrimus interpretari. Nec facilè possumus sine illis eò ferri, quantumvis à Ratione provocati, non magis quàm ambulare sine pedibus, vel absque alis volare.

Unde dispicere quis potest quàm non temere id dictum sit à *Theage*, *Quòd Virtus oriatur ex Passionibus, & cum ipsis rursus consistit & conservatur.* Maxima enim pars Virtutis in μετριοπαθείᾳ posita est, *ità ut nec sine Passione quispiam sit, nec Passionibus nimiùm emotus. Impassibilitas enim tollit omnem illum animæ impetum & Enthusiasmum erga illud quod pulchrum est; nimia verò animi emotio perturbationem superinducit rationisque defectum*; ut idem monet Philosophus.

10. Concludamus igitur tandem cum *Archyta Pythagoreo*, *Itaque contendendum est ut ad moderatum Passionum usum habitùm ne perveniamus, adeò ut indolentiam æquo studio vitemus ac nimiam animi emotionem, nec majora quàm nostra fert natura fastuosè profiteamur.* Quæ certè sunt multò æquiora atque humaniora quàm quæ reperias apud *Stoicos* & quosdam *Platonicos*. Cæterùm semper meminisse oportet μετριοπάθειαν hanc ad quam aspirare debemus in eo potissimùm consistere, quòd non

amplius affectibus indulgeamus quàm in quantum inſerviant illi fini ad quem à Natura deſtinantur. Atque hæc de *Paſſionibus* propriè dictis.

CAP. XIII.

De reliquis Paſſionibus, ſive Impreſſionibus corporeis.

1. Quod reliquas *Impreſſiones corporeas* attinet, earum genera ad has duas ferè Claſſes referri poſſunt; nempe, vel ad *Senſationem, Imaginationem*, Ἰδιοσυγκρασίαν, ſive *Peculiarem corporis temperiem*, & *Conſuetudinem*; vel ad *Educationem*, Ἠθοποιΐαν, ſive *Affectum proprium*, & *Proſopolepſiam*. Primæ claſſis Impreſſiones in eo conveniunt, quòd conſiderantur citra omnem affectum propriè dictum. Secundæ, quòd eas affectus aliquis propriè dictus concomitatur. Per *Senſationem* hîc intelligo non ipſum ſentiendi actum, quæ eſt propria vocabuli ſignificatio, ſed labem illam pravámque quam illa imprimit animæ propenſionem ad errorem. Et ſic ferè de cæteris.

2. Eſt igitur *Senſatio Impreſſio corporea quâ propendet Anima ad cogitandum res tales eſſe in ſua propria natura quales externo ſenſui apparent.* Ut ſi quis, ex eo quòd aliquid ſuo Guſtui gratum animadverterit, ſtatim concluderet illam ſuavitatem vel dulcorem ipſi rei inеſſe quam guſtat, ac proinde omnibus tam bru-

brutorum quàm hominum guſtibus illud æquè gratum fore.

Eadémque fallacia animæ videtur obtrudi in Viſu, dum cogitat lucem vel colores quos percipit eſſe revera in rebus ipſis quas videt; cùm tamen perinde falſum eſt ac ſi cogitaret dolorem illum quem ſentire poſſit in pedibus, dum per loca aſpera ambulat, eſſe in ipſis lapidibus, vel eum quem ſentit ex tactu ſubjecti calidi eſſe in ſubjecto illo calido quod tangit. Calor autem non magis in ſubjecto eſt quàm dolor, cùm utraque creentur ex particularum agitatione: quæ ſi moderatior ſit, calorem percipimus ſine dolore; ſi ad ſenſus noſtros immoderatior, neceſſe eſt dolorem percipere ſimul cum calore. Calor igitur & dolor tantùm gradu differunt, ac proinde ſunt in eodem ſubjecto, id eſt, in nobiſmetipſis. Et ſic de reliquis externorum ſenſuum Objectis.

3. *Imaginatio* eſt *Impreſſio corporea, quâ propendet Anima ad credendum ea aut eſſe aut fore, quæ tamen nec ſunt nec futura ſunt unquam.* Ut *Senſatio* animam, ni ſibi cavet, facilè in errorem ducit circa naturas rerum; ità *Imaginatio* circa earum exſiſtentias, ſive præſentes ſive futuras. Nam quemadmodum vigor Senſûs nos ſecuros reddit de reali alicujus rei præſentia & exſiſtentia; ità Imaginationis vehementia, quæ ipſum Senſum quodammodo æquare poſſit, aut ſaltem imitari, facilè falſam animæ obtrudit ſecuritatem rem aliquam veram eſſe vel fore, ex eo ſolo quòd ità eſſe vehementiùs imaginatur. Sed quomodo hæc

obrep-

obreptantia phantaſmata variáque vigilantium inſomnia detegi poſſint & evitari, fuſiùs edocuimus in Libro de *Enthuſiaſmo*, quò remittendus eſt Lector.

Sect. 51, 52, 53, &c.

4. *Idiocrycrasia* eſt *Impreſſio corporea ex toto ferè corporis temperamento naturalique conſtitutione orta, quâ perceptio animæ impeditur vel pervertitur in quibuſdam rebus contemplandis.* Hujuſce labis corporeæ multa produci poſſint exempla. Nos uno & altero contenti erimus. Hinc igitur eſt quòd quoſdam videmus ſatis habiles, ſi non inſignes, Mathematicos, qui tamen valde ſcævum & ineptum habent ingenium ad res Theologicas vel Metaphyſicas; quíque dum naturam *Corporis* tam integrè & perfectè ſe intelligere gloriantur, profitentur interim quid *Spiritûs* notio vel ſignificatio ſibi velit ſe prorſus ignorare, nec ullo modo poſſe percipere: cùm tamen alii tam immoderato impetu ferantur ad imaginandum præſentiam *Spirituum* in omnibus mundi locis, ut vix credant tonare vel pluere poſſe ſine ipſorum miniſterio; imò iſtiuſmodi aliquando *Spirituum* Ideas ſibi fingunt tam operoſas & inexplicabiles, ut cujuſvis alterius mentem valde ſudare & æſtuare oporteat, ſi velit apud ſe eoſdem conceptus expedire.

5. Hæc autem ineptitudo cogitandi ac pravitas, quantum ego exiſtimare poſſum, oriri videtur ex ipſa corporis temperie: quæ in uno homine ſpiritus reddit magis viſcoſos, craſſos & tenaces; in altero inæqualiter & indomitè agitatos & volatiles. Quòd ſi quis (quemadmodum

modum Chymici vulgò jactant de Arcano quodam faciendi volatile fixum, & fixum volatile, quo sibi montes planè aureos pollicentur,) spiritus suos ad satis perfectam subtilitatem & volatilitatem reducere possit, & cùm vellet denuo immobili quodam obtutu, sine omni vibratione vel fluctuatione, in Ideam quamlibet vel Objectum quod contemplari velit defigere; haberet sanè illam Facultatem, quâ nulla majorem vim habet ad acquirendam accuratissimam rerum omnium Notitiam.

6. *Consuetudo* est *Impressio corporea quâ valde inclinatur anima ad judicandas res veras esse honâsve & decoras ex eo solo quòd consueverit ità existimare, juxtâque hanc opinionem agere, cùm aliàs nulla subesset ità existimandi & agendi ratio.* Hujus depravationis instantia maximè illustris reperitur in Anthropophagis, qui sine omni horrore humanâ vescuntur carne. Sed hæc depravationis vis in singulis ferè rebus se prodit, Consuetudine in alteram abeunte Naturam, ut *Cicero* rectè ex *Aristotele* notat. Unde inveteratæ Opiniones communium Notionum locum habent apud plerosque homines, & Mores assueti, quantumvis pessimi, rationem Legis cujusdam naturalis. Quamobrem maturè cavendum est nè rebus malis falsisve nos assuefaciamus, nec immisceamus nos eorum societati qui malis moribus pravisve opinionibus sunt imbuti. *Sensus enim bonarum rerum ex conversatione & familiaritate cum hominibus improbis paulatim deteritur & abluitur.*

7. *Educatio* est *Consuetudo cum notabili ali-*

quo

quo affectu conjuncta. Solent enim qui juvenes instituunt ingenerare ipsis amorem & existimationem earum rerum quibus animos eorum imbuere velint, quasi maximè ipsorum interesset sic eruditi. Unde non solùm propensi sunt ad credendum eas res veras bonásque esse, sed magno se studio ardoréque animi ipsas tueri debere, valdéque sibi metuere, siquis eos tentet ab assuetis cogitationibus avellere. Atque hoc pacto quamplurimi homines fœdis erroribus exsecrandísque impietatibus ex mala educatione contractis inseneſcunt & immoriuntur. Ità ut multò prætitisset eos soli Naturæ Deóque relictos fuisse, quàm in tam miseros incidisse magistros, quorum imperitiâ aut perfidiâ primi virtutis veritatísque igniculi in alumnorum animis extinguuntur.

Tuscul. Quæst. lib. 3.

Qua de re etiam altâ voce olim conquestus est *Cicero*: *Sunt enim*, inquit ille, *ingeniis nostris semina innata Virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam Natura perduceret.* Nunc autem simul atque editi in lucem & susceptí sumus, in omni continuò pravitate & summa opinionum perversitate versamur, ut penè cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cùm verò parentibus redditi, id est, magistris traditi sumus, tum ità variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ Natura ipsa cedat.

8. Ut *Educatio* ad *Consuetudinem* refertur, ità *Idiopathia* ad *ἰδιοσυγκρασίαν*. Utræque enim à Natura sunt. Estque *Idiopathia* istiusmodi *Impressio corporea quâ quis speciali quodam modo*

modo & extraordinario certis quibuſdam rebus percellitur & afficitur, ità ut ſummam ferè humanæ felicitatis & perfectionis in eis poſitam eſſe exiſtimet, omnéſque mortales qui illis carent miſeros eſſe, aut ſaltem turpiter mancos. Ità fieri poteſt ut *Ars Oratoria*, *Muſica*, *Militia*, *Politica*, *Poeſis*, *Philoſophia naturalis*, *Geometria*, *Linguarum peritia*, aliarúmve rerum conſimilium una aliqua ità alicujus animum abripiat & poſſideat, ut reliquarum cultores præ ſeipſo planè deſpicatui habeat. Quod tamen valde ineptum & inſulſum hominis demonſtrat ingenium. Quaſi verò alii eis ſtudiis ad quæ rapiuntur non poſſint æquè oblectari ac ipſe ſuis, parémque voluptatem & felicitatem indè haurire.

9. Omnia igitur laudare & comprobare debemus in quibuſlibet hominibus quæ honeſtum aliquem uſum habent aut voluptatem; & quod ad nos ipſos attinet, ſummopere cavere nè quo maximè percellimur, ab ipſo tandem vulneremur, aut in miſeram quandam abducamur captivitatem, tandémque in noſtras *Idiopathias*, tanquam in arctos quoſdam carceres, compingamur, earúmque vi à ſenſu rerum optimarum maximéque neceſſariarum in integrum alienemur. Nemo enim revera beatus eſſe poteſt, niſi illud nactus ſit quo omnes fiunt beati; quod ad *Idiopathias* non ſpectat, niſi quis ità fortè natus ſit, ut ipſius *Idiopathia* ſpeciatim ad Virtutem ferat: quæ captivitas omni libertate longè dulcior eſſet, longéque amabilior.

10. Sunt

10. Sunt etiam Ætatum Idiopathiæ, aliáque Idiopathiarum Objecta multa præter vitæ ſtudia, in quibus homines ſuam *ἐνάδυαν animique impotentiam* produnt: ſed infinitum eſſet omnia percurrere.

11. *Proſopolepſia* eſt *Impreſſio corporea quâ abripitur animus ad amorem vel odium, ad exiſtimationem vel deſpectum rei vel perſonæ, ex levibus quibuſdam externiſque circumſtantiis.* Non eſt igitur hæc *Proſopolepſia* illa perſonarum acceptatio quæ oritur ex aliquo antecedenti affectu, amore putà vel odio, vel aliâ aliquâ Paſſione conſimili; cùm iſtiuſmodi affectus conſequantur hanc Impreſſionem, non antecedant. Nec taxatur hîc veterum Sapientum, & nominatim *Pythagoreorum*, *Phyſiognomia*, quâ de oris vultúſque ingenio, ut memorat *Noct. Attic. lib. 1. cap. 9. Gellius*, déque totius corporis filo atque habitu, mores naturáſque hominum ſciſcitabantur. Eſt enim illa ars non omnino contemnenda, cùm tam certas habeat conjecturas, ut valde difficile eſſet cuiquam mores indolémque ſuam occultare coram ſagaci corporis Inſpectore.

Præſens verò animæ labes eſt, cùm præceps fertur ſine ulla deliberatione ad amorem vel deſpectum alicujus rei vel perſonæ ex ſuperficiariis quibuſdam circumſtantiis nihil boni vel mali moralis indicantibus, nihil perfectionis vel imperfectionis naturalis. Unde ſæpenumero fit, ut ex ſolis rerum perſonarúmque nominibus inclinetur affectus erga unas magis quàm erga alteras, ex meróque vocis tono res vel perſona

ſona de qua quis loquitur æſtimetur vel vileſcat. Tam lubrica res eſt anima humana, támque mobilis & impreſſibilis.

12. Minuta, dicet aliquis, ſunt hæc. Fateor. Sed ſunto quantum vis minuta, non parùm tamen habent momenti ad rectè omnia dijudicanda; quod viri boni prudentíſque officium eſſe exiſtimo.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Virtutum Primitivarum numero.

1. HActenus de *Virtute in genere*, déque *Paſſionibus*, reliquíſque *Impreſſionibus corporeis*. Sequuntur *Virtutes in ſpecie*. Quarum aliæ, ſicut & ipſæ *Paſſiones*, ſunt *Primitivæ*, aliæ *Derivativæ*. Virtutes *Primitivæ* ſunt tres; *Prudentia*, *Sinceritas*, & *Patientia*. Quæ quodammodo reſpondent & ſuccedunt tribus *Primitivis Paſſionibus*, ut earum vel perfectiones vel correctiones; *Prudentia Admirationi*, *Sinceritas Concupiſcentiæ*, *Patientia* denique *Excandeſcentiæ*.

In quam Virtutum Triadem ut conſtet nos non fortuitò incidiſſe, ſed Naturam potiùs rectámque Rationem eas nobis præmonſtrâſſe, non abs re fore putavi in lucem proferre quæ hac de re apud veteres Scriptores occurruut. Nam ſæpius hunc ſive Virtutum ſive Officiorum numerum ſummarium indigitare videntur, quamvis eiſdem prorſus nominibus non inſigniant. Sed dum re conveniunt, ſatis indicant primam hanc Virtutum tripartitionem valde eſſe naturalem.

2. *Metopus Pythagoreus* tres eſſe Virtutes ex tribus

tribus Animæ partibus innuit; quarum primam τὸ λογιστικὸν *Rationale*, alteram τὸ θυμοειδὲς *Iraſcibile*, (*quam tanquam defenſivum quid & propugnativum contra ea quæ ex propinquo ſunt deſcribit,*) tertiam τὸ ὀρεκτικὸν καὶ ἐπιθυμητικὸν *Appetitivum & concupiſcibile*, appellat. Et in principio illius Fragmenti; *Neceſſe eſt omnem Virtutem tria hæc habere, Rationem, Vim vel robur, & Appetitionem vel electionem. Rationem quidem, quâ judicat & ſpeculatur; Vim verò, quâ reſiſtit & vincit; Appetitionem denique, quâ quid amat & amplectitur.* Quibus tres noſtræ primitivæ Virtutes planiſſimè reſpondent.

3. Eaſdem partes etiam enumerat *Theages*, addens inſuper, *Rationalis quidem partis animæ virtutem eſſe Prudentiam, Iraſcibilis verò Fortitudinem. Eſt enim habitus contrahendi & ſuſtinendi gravia.* Atque hæc eſt illa ipſa Virtus quam ego appello *Patientiam*. Eſt enim ὑπομονὴ, etiam ex vi nominis, Virtus ἀντεκτικὴ καὶ ὑποστατικὴ τῶν δεινῶν. *Patientia* eſt Virtus quæ *ſuſtinet & bajulat gravia omnia & ingrata.* Pro *Temperantia* autem, quæ eſt Virtus *derivativa* & particularis, *Sinceritatem* pono, ut quæ prima eſt & ſimpliciſſima virtus τῷ ὀρεκτικῷ, hoc eſt, *Appetitivi*; quâ ad illud quod eſt ſimpliciter & abſolutè optimum fertur, idque illius ſolummodo gratiâ.

4. Huc etiam faciunt quæ alibi planiùs & apertiùs idem *Theages*: *Principia omnis Virtutis ſunt Cognitio, Potentia, & Appetitio. Et Cognitio quidem ea eſt quâ res contemplamur, eâſque judicamus. Potentia verò eſt quaſi robur quoddam*

dam corporis quo in rebus ſubſiſtimus eiſque immoramur. Appetitio verò quaſi manus animæ quædam quibus impetum facimus in res, eáſque prenſitamus. Cui Facultatum Tripartitioni accuratiſſimè rurſus reſpondet noſtra hæc Virtutum primitivarum Trias; *Prudentia, Sinceritas, Patientia.*

5. Quin & idem Virtutum numerus & planiùs & frequentiùs apud *Marcum Antoninum* indigitatur, qui in Meditationibus Philoſophiam in hiſce tribus conſiſtere docet. Primò, *in conſervando τὸν ἔνδον δαίμονα, Deum noſtrum domeſticum*, id eſt, *Animam*, (ψυχὴ enim & δαίμων apud Veteres idem ſonant,) *ab illecebris corporis illæſam atque integram, ità ut nec à voluptate nec à dolore vincatur*; quæ vera eſt *Patientia*, Tolerantiam & Continentiam in ſe complectens. Deinde, *nihil agentem temere*; quod officium *Prudentiæ* eſt. Poſtremò, *neque fucatè & cum Hypocriſi*; quod eſt officium *Sinceritatis*.

Τῶν εἰς ἑαυτὸν l. 2. ſect. 17.

* Sect. 55. 6. Rurſus libro * ſeptimo: *Primum & principale in hominis conſtitutione eſt amare communionem.* Illud nimirum ſapere quod ad *συνοικείαν ad bonam Univerſi adminiſtrationem* attinet; quod (ut ſæpius ille indicat) nihil aliud eſt quàm liberè & integrè illa acceptare & affectare, non quæ ſibi, ſed quæ ſimpliciter ſunt optima, & communi Naturæ Rationiſque legi maximè conſona. Hoc enim eſt *ſeipſum præbere ſimpliciter obſequentem Rationi ac Deo*, ut alibi loquitur; quod ſummæ *Sinceritatis* eſt. *Alterum verò corporeis affectibus nunquam cedere*; quod *Patientiæ* eſt. *Tertium denique, in nulla re præcipitem ferri & falli*; quod eſt *Prudentiæ*.

7. Sunt

7. Sunt & *alia loca quæ huc faciunt. Unicus autem reſtat quem præterire non poſſum, * lib. 10, ubi explicat tria illa nomina, ἔμφρων, σύμφρων, ὑπέρφρων, quæ idem ferè ſonant quod, *Animo eſſe intento, contento*, &, ſi fas ſit ità loqui, *ſuperextento*; quæ mihi planè videntur complecti tres haſce Primas Virtutes, *Prudentiam*, *Sinceritatem*, *Patientiam*. Nam τὸ ἔμφρον, ſive *Animus intentus*, ſignificat, prout ille interpretatur, *mentem illam deliberativam accuratámque diſceptationem circa ſingula*; quod *Prudentiæ* eſt. *Animus verò contentus*, *voluntariam acceptationem eorum quæ à communi Natura nobis adjudicantur*. Acceptare autem quicquid nobis injungitur à communi Naturæ lege, juxta mentem ſapientiſſimi Philoſophi, eſt obedire communi Rationi quæ in Deo eſt, ipſéque quodammodo Deus, *qui viva illa Lex eſt quæ univerſa adminiſtrat, tribuens cuique quæ ipſi competunt*, uti ille loquitur.

* *Lib.* 8. *ſect.* 26.

* *Sect.* 8.

Marc. Antonin. τῶν εἰς ἑαυτὸν *lib.* 10. *ſect.* 25.

8. Qui igitur lubens amplectitur, non quæ ſibi ſuíſque affectibus grata, ſed quæ Divinæ Providentiæ viſum eſt ipſi imponere, ſive externo aliquo caſu, ſive per vim propriæ conſcientiæ, quæ, utut honeſta, dura tamen dictat aliquando & animali appetitui valde acerba; hic rectè σύμφρων dicitur, tanquam συμφρονῶν τῷ πάντα περιέχοντι νοερῷ, *conſentiens Intellectuali illi poteſtati quæ complectitur omnia*, ut alibi innuit *Antoninus*. *Mundus enim*, inquit ille, *unus eſt per univerſa, & unus per omnia Deus, & Eſſentia una & Lex una, quæ eſt communis Ratio omnium Intellectualium Animantium, & Veritas una, ſiquidem perfectio una eſt omnium congenerum*

Lib. 8. *ſect.* 52.

Lib. 7. *ſect.* 9.

eandémque Rationem participantium Animalium.

9. Unam igitur communem Rationem ve Legem per omnes Intellectuales Substantia percurrere docet, ipsásque Creaturas rationale hoc pacto fieri quodammodo ἰσονόμους Θεῷ, *qua concives Dei*, nisi stationem suam deserant, Le gísque communis vinculum detrectent vel ex cutiant. Quòd si omnia quæ ex Divina Lege im mutabilíque Ratione ipsis obveniunt lubente amplectuntur, neque ea aliter fieri cupiunt at que fiunt, non solùm σύμφρονες, *contenti* vel *con sentientes*, sed θεοφόρητοι, *Deo abrepti*, dicuntur, *qui eâdem feruntur quâ ipse Deus, & ad eade quæ ipse ex sua sententia feruntur.* Quæ maxi ma pars est *Sinceritatis.* Hoc enim est sequi quo simpliciter optimum est, ipsiúsque solius grati eò niti eóque anhelare.

Marc. Antonin. Τ εἰς ἑαυτὸν *lib.* 12. *sect.* 23.

10. Postremò, *Animus superextentus* significa *superevectionem illius partis quâ sapimus supra om nem lævem motionem carnis & asperam, supra gl riolam mortémque, & id genus alia.* Quæ lati ampla descriptio est officii *Patientiæ.* Hâc enim Virtute omnibus istis sumus superiores, molle corporis motiones & asperas perinde habemus; nec infamiam mortémve ipsam recusamus, si a liâ lege evitari non possunt quàm committen do quod turpe est & communi Rationis leg contrarium.

Lib. 10. *sect.* 8.

Abunde igitur patet quàm non temere hasce tres Virtutes, *Prudentiam, Sinceritatem & Patien tiam*, primos omnium Virtutum fontes statuimus. Quod adhuc plenius intelligetur, postquam sin gularum naturas accuratiùs definivimus.

CAP.

CAP. II.

De prima Virtute Primitiva, Prudentia.

1. EST igitur *Prudentia animæ Virtus, quâ Passionibus propriè dictis omnibúsque omnino Impressionibus corporeis ità dominatur, ut per illas non stet quò minùs in singulis deliberationibus Mens rectè dispiciat, felicitérque deprehendat quod absolutè & simpliciter optimum est.* Demonstratio hujus Virtutis petenda est ex *Notmate* 12.

Itaque *Prudentiam* comitantur σύνεσις, δεινότης, εὐβουλία, γνώμη, εὐστοχία, ἀγχίνοια, αἴδιος, & τῷ ὀρθῷ λόγῳ ὁρισμός · hoc est, *Intelligentia, Solertia, Felix consilium, Æqua sententia, Recta conjectatio, Ingenii præsentia, Sensus, rectæque Rationis definitio.*

2. Σύνεσις, id est, *Intelligentia*, Prudentiæ comes est, quoniam intelligere nihil aliud est quàm rectè percipere & judicare de eis quæ alii nos monent. *Prudentia præcipit, Intelligentia solummodo judicat*, inquit *Aristoteles. Atque hinc venit nomen Intelligentiæ, secundùm quam intelligentes dicuntur, nempe, ex facilitate percipiendi quæ docentur.* Itaque *prudentes* sunt maximè *intelligentes*, quoniam nullo Passionum aliarúmve corporearum Impressionum præjudicio aures animi rectè monentibus obserant vel obturant; ex quo fit, ut veritatem in singulis rebus ritè propositam facilè assequantur & amplectantur. Aristot. *Eudem. lib.* 5. *cap.* 10.

3. Δεινότης, sive *Solertia*, perspicitur in mediis celeriter consequendis & ad scopum applicandis, ut docet *Aristoteles*. Si verò Scopus malus est & turpis, dicitur πανουργία, *Versutia*. Unde apparet esse quædam ingenii versatilitas in *Solertia*, quæ non potest deesse prudenti, propter spirituum subtilitatem quæ oritur ex purificatione corporis atque animi ab omni Passionum & Impressionum crassiorum immunditie atque fæce.

Ethic. Nicom. lib. 6. cap. 13.

Cùm verò *Solertia* hæc non desit, nec εὐβουλία sive *felix Consilium* deesse potest, quæ, definiente Philosopho, dicitur *Rectitudo consilii id quod bonum est præcipiens*. In εὐβουλία summatim requiritur ut finis sit honestus, media licita, deliberatio nec præceps nec nimis tarda. Quæ, ex definitione *Prudentiæ*, facilè intelligentur inesse viro prudenti. Vir enim prudens, cùm dominus sit affectuum, semper observabit illud *Antonini* præceptum, Μὴ ἐκθόρυβος, *Non temerè exsilire*, & ex purificatione spirituum nec tardus nec præceps erit, (tenuitas enim eorum ac puritas ad Mansuetudinem conferunt & Patientiam;) multò minùs injusta molietur, aut justa modis injustis, cùm hæc fieri soleant ab his qui affectibus indulgent, eisque seducuntur.

Ethic. Eudem. lib. 5. cap. 9. & ad Nicom. lib. 6. cap. 10.

4. Γνώμη autem sive *Æqua sententia* maximè est affinis Prudentiæ. *Est enim ipsius Æqui recta dijudicatio.* Quis autem tam idoneus esse potest ad judicandum ex æquo & bono quàm ille qui non solùm omnibus affectibus dominatur, sed & reliquas omnes Impressiones corporeas animâ suâ abstersit, omnique inveteratarum consuetu-

Ethic. Nicom. lib. 6. cap. 11.

ſuetudinum vi atque præjudicio prorſus evaſit ſuperior?

Quod verò ad εὐστοχίαν attinet, hoc eſt, *rectam Conjectationem*, cùm moralis virtus nihil aliud ſit quàm *habitus quidam rectè collineandi ad debitum illud medium quod haberi oportet in paſſionibus & actionibus*, quemadmodum docet *Ariſtoteles*; quis rectiùs conjectare poteſt ubi conſiſtat τὸ μέσον vel τὸ Καλὸν quàm vir prudens, qui Paſſionum dominus eſt, cujúſque ſpiritus tam puri ſunt ac defæcati, ut mira indè emergat ſagacitas rerúmque quaſi ſubitanea quædam præſentio? Neque enim hîc propriè deliberatione utitur. *Abſque enim ratione & ſubitaneum quiddam eſt recta conjectatio.* Eadémque planè ratio eſt de εὐστοχίᾳ, ſive *Ingenii præſentia: Eſt enim quædam recta conjectatio*, inquit *Ariſtoteles*. Paſſiones verò ſordéſque corporis intervallum quoddam faciunt inter mentem & veritatem. Undè qui non ſunt prudentes εὐστόχῳ hâc prorſus deſtituuntur; *Ethic. Nicom. lib. 2. cap. 9.* *Eudem. lib. 5. cap. 9.*

5. Quemadmodum etiam *ſenſu illo diſcriminativo*. Nam vim illam συγκριτικὴν eodem capite Philoſophus videtur appellare *Senſum: Talia autem in ſingularibus & in ſenſu eſt judicium.* Quod de Dolore, Ira, & id genus reliquis enunciat. Quod iterum repetit in *Magnis Moralibus: Nam niſi apud teipſum hujuſmodi rerum ſenſum habeas, fruſtrà laboras*: quod & ſuprà notavi. Hanc *Pythagorei* apud *Iamblichum* vocant τὴν εὐαισθησίαν, *bonam ſenſationem*. *Eſt enim*, inquiunt illi, *Intellectûs noſtri practici quædam quaſi bona ſenſatio, per quam ſit ut neque* *Ethic. Nicom. lib. 2. cap. 9.* Iamblichi *Protreptic. cap. 2.*

in eis quæ patimur fallamur in sensu, nec circa ea quæ agimus perperàm ratiocinemur.

Ex subjugatione igitur Passionum, corporisque atque animæ purificatione, nova quædam suboritur Animi Spiritûsve *Sensibilitas*, si ità fas sit loqui, quæ soli competit *Prudenti*, quâ fretus facilè percipit ubi consistat τὸ μέσον quod dixi, vel τὸ δέον, *medium illud debitum* in singulis actionibus; *Imprudens* verò & impurus homo non percipit.

6. Postremò, τῆς ὀρθῆς λόγου ὁρισμὸς, *rectæ Rationis definitio*, non minùs rectè quàm frequenter ab *Aristotele prudenti* attribuitur. Ubique enim apud ipsum occurrit de recta Ratione, ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν, *prout vir prudens definiverit*. Quæ certè vox non surda est si ad *Prudentem* nostrum applicatur. Nulla enim omnino recta Ratio est, si in illâ non inveniatur quam nos definivimus Prudentiâ. Unde nihil miror, si nec *Pythagorici* nec *Platonici* nec ipse *Aristoteles* multùm sudaverint in definienda *rectâ Ratione*, cùm universi intellexerint eam demum esse *rectam Rationem* quæ ità viro purgato & prudenti esse videtur. Supponunt enim Mentem humanam, si Passionum omniúmque corporis inquinamentorum præjudicio ritè purgetur, æquè naturaliter discernere quid verum justúmque est, atque oculus nullo morbo affectus colores distinguit. Rectè igitur definit *Aristoteles* τὸν ὀρθὸν λόγον, τὸν κατὰ τὴν φρόνησιν, *Rationem rectam, eam esse quæ est secundùm prudentiam*, si *Prudentiam* eo modo quo nos suprà descripseris.

Ethic. Eudem. lib. 5. cap. 13.

7. Cæterùm duo interim hinc notanda emicant. Primum, quàm profectò ineptè & insulsè

insulsè se gerunt illi homines qui, cùm satis idonei rerum judices esse non possint, utpote qui moralem hanc *Prudentiam* nondum sunt assecuti, tamen non solùm non amplectuntur pro veris justísque quæ omnes omnium ætatum omniúmque gentium Sapientes veréque Prudentes vera justáque statuerunt, sed impudenter contendunt nihil esse suâ naturâ justum vel injustum, nihil honestum vel turpe. Quod perinde est ac si quis cæcus omne colorum discrimen negaret; cùm oculis priùs mederi oporteret, deinde de coloribus judicare.

8. Alterum est, quòd *Prudentia* non sit aliqua particularis rerum externarum Scientia, sed solummodo Peritia quædam animæ, quâ ità sibi cavet ab omni inquinamento corporis Passionúmque sive Impressionum corporearum, ut judicium ab eis nunquam impediatur vel obfuscetur. Hoc enim unicum ubique præstat *Prudentia*. Rerum verò cognitionem aut Sensus, aut Experientia, aut Philosophia naturalis, aut Ars militaris, aut Juris denique peritia, suppeditat. Atque hoc ipsum est quod alicubi innuit *Aristoteles*, ad *prudentem* scilicet non spectare *particularia*, *sed ea quæ universaliori quodam modo ad rectè vitam instituendam pertinent*. Ac proinde *Prudentia* est tantùm generalis quædam perfectio τῆς λογικῆ sive *rationalis partis animæ*, ut *Sinceritas* τῆς ὀρεκτικῆ sive *appetitivæ*; prout suprà vidimus ex Fragmentis *Pythagoricis*.

Ethic. Eudem. lib. 5. cap. 5. & ad Nicom. lib. 6. cap. 5.

CAP.

CAP. III.

De reliquis duabus Primitivis Virtutibus, Sinceritate & Patientia.

1. EST autem *Sinceritas virtus animæ, quâ Voluntas integrè & sincerè fertur ad illud quod Mens judicavit esse simpliciter & absolutè optimum.* Per *integrè* verò *sincerèque ferri* intelligo *perfectè* & *adæquatè*. *Perfectè*, hoc est, ex tota anima. *Ex toto animo justa facere & vera dicere*, inquit *Antoninus*. *Adæquatè*, hoc est, simpliciter, & sine omni extrinseco respectu vel ad lucrum vel ad famam. Imò ità affici debet Anima erga illud quod simpliciter optimum est, ut non desistat illud prosequi quantovis cum damno & ignominia. Nam *vi opprimi in bona causa est melius quàm malè cedere*, ut rectè alicubi ait *Cicero*.

Τῶν εἰς ἑαυτὸν lib. 12. sect. 29.

Hujus Virtutis ratio resolvitur in *Noemata* 3, 4, 5, & 13. Illius verò perfectio & pulchritudo à nemine nè fingi quidem potest qui non sit expertus. De hac animæ rectitudine & simplicitate aptissimè usurpetur illud *Aristotelis*, *Non Hesperus nec Phosphorus ita pulcher & admirabilis*. Hæc est enim simplicissima & divinissima lux animæ, omni externâ luce longè pulchrior & amabilior.

2. Ad hanc *Simplicitatem animæ* vel *Sinceritatem* refertur illa *Antonini* cum seipso expostulatio: *O chara anima, quando una eris & nuda & sim-*

Τῶν εἰς ἑαυτὸν l. 10. sect. 1.

& ſimplex? Uti etiam illa Præcepta ad ſeipſum & Hortationes; *Noli teipſum turbare limúmque excitare; Simplifica teipſum.* Hæc enim *Sinceritas* limpidiſſimus quidam fons eſt & perennis deliciarum vitæ interníque gaudii. Hæc *Simplicitas* Pax æterna & ineffabilis, nullis diſtrahenda curis aut ſuſpicionibus, nullis turbanda animi fluctuationibus. In uno enim nulla eſt diſtractio, ſed perfectus amor altiſſimáque quies. Unde meritò beatos illos prædicant *Pythagorei* qui hanc Analyticam didicerunt, quâ poſſunt omnia *in unum idémque Principium reſolvere*, quam *Monadem* ipſi palàm profitebantur eſſe Deum, ipſorúmque vitam integrè ad unum illud ordinabant, πρὸς τὸ ἀκολουθεῖν τῷ Θεῷ, *ad ſequendum* vel *obſequendum Deo.* Lib. 4. ſect. 26. Iamblich. Protreptic. cap. 4.

3. Sed revera *Deum ſequi* eſt illud quod ſimpliciter optimum, non quod animali appetitui gratiſſimum eſt, conſtanter & ſincerè proſequi. Neque enim quis quatenus Creatura, ſed quatenus divino quodam imbuitur ſpiritu ſenſúve, id quod ſimpliciter optimum eſt ſincerè conſtantérque proſequi poteſt. Illud enim non ad particularem aliquam Creaturam primò pertinet, ſed ad Deum, communem omnium Patrem, legémque Univerſi, quam definit apud *Laertium Zeno*, *Rectam Rationem per omnia pervadentem, eandem etiam in ipſo Jove, ſupremo adminiſtrandi Univerſi Rectore ac Duce.*

4. Quò ſpectat etiam illa *Antonini* Adhortatio; *Non conſpirare diutiùs ſolummodo cum ambienti aere, ſed & cum Intellectuali illa vi quæ univerſa complectitur mente animóque conſentire.* Quod perinde Τῶν εἰς ἑαυτὸν l. 8. ſect. 54.

perinde est ac si dixisset, *in unum cum Deo consensum rapi.* Qui viri verè divini affectus est, & quo solo quis evadit revera divinus. * *Qualis enim cujusque animi affectus est, talis est homo.* Simplex verò Intellectio hoc non præstat, sed debet esse resuscitatio quædam *Boniformis facultatis*, in qua latet Divinus hic Sensus atque Sapor in quo consistit summa animæ voluptas, summa pulchritudo, summa perfectio. Hoc enim illud ipsum est quo Deum spiramus, quo Deo adhæremus, quóque ipsi Deo (quantum capit natura nostra) assimilamur, qui summa Bonitas est, summa Puritas, summáque Simplicitas. Quæ omnia imitatur pro suo modulo hæc ipsa de qua agimus *Sinceritas*, quæque est Voluntatis siue ὄρεξις nostræ, quam appellant *Pythagorici*, summa & absolutissima perfectio; quemadmodum *Patientia* illius Facultatis quam appellant τὴν δύναμιν καὶ τὴν ἀλκὴν τῆς ψυχῆς, *vim atque robur animæ.*

* Tuscular. Quæst. l. 5.

5. Est autem *Patientia animæ Virtus, quâ, ex amore illius quod simpliciter & absolutè optimum est, omnia potest subire & perferre, etiam quæ quàm maximè Animali Naturæ dura sunt & ingrata.*

Per *Patientiam* igitur intelligo non nudam aliquam Passivitatem stupidámve Indolentiam; sed positivum quoddam robur animi & firmitudinem ὑποστατικὴν καὶ ἀντιρεπτικὴν τῶν δεινῶν, (prout suprà notavimus ex *Metopo Pythagorico*,) quâ quis obfirmato animo *se subdit vel substituit rebus durissimis vel periculosissimis sustinendis*, nun-

nunquam cedens, ſed conſtanti & invincibili conatu obnitens contra omnes dolorificas Paſſiones & ſenſationes quæ Voluntatem à ſincera proſecutione illius quod ſimpliciter optimum eſt revocare poſſint vel deflectere. Ac proinde hæc Virtus ſignificantiſſimo vocabulo à Græcis vocatur ὑπομονὴ, cui opponuntur ἔνδοσις καὶ φυγή.

6. *Patientiæ* duæ ſunt partes ſive ſpecies, *Continentia*, & *Tolerantia*. Per has enim intelligo non duas illas *Semivirtutes* quas tam *Pythagorica* quàm *Ariſtotelica* Schola commemorat, ſed *Virtutes perfectas*.

Continentia igitur *illa pars ſive ſpecies Patientiæ* eſt, *quâ Anima facilè & conſtanter, ob amorem illius quod ſimpliciter optimum eſt, omnem dolorem ac moleſtiam perfert quam ſentire poſſit in abſtinendo ab eis rebus quæ gratiſſimæ ſunt animali vitæ atque jucundiſſimæ.*

Tolerantia autem *illa Patientiæ ſpecies ſive pars* eſt, *quâ Anima duriſſima quæque & animali vitæ ingratiſſima facilè & conſtanter perferre poteſt, ob amorem itidem illius quod ſimpliciter & abſolutè optimum eſt.*

7. Demonſtratio harum Virtutum petenda eſt ex *Noematis* 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11. Uſus verò earum latiſſimè patet, & ad omnes ferè actiones morales ſe diffundit. Itaque *Ariſtoteles* univerſim, *Circa voluptates & dolores omnis Virtus verſatur moralis. Nam propter voluptatem quæ turpia ſunt perpetramus, & propter dolorem ab eis quæ honeſta ſunt noſmetipſos ſubducimus.* Unde & *Epictetus* totius Moralis Philoſophiæ ſummam in brevi hoc præcepto conſiſtere voluit, Ἀνέχου καὶ ἀπέχου,

Ethic. Nicom. lib. 1. cap. 2. & Magn. Moral. lib. 1. cap. 6.

Suſtine

Sustine & abstine; alterâ præcepti parte *Tolerantiam, Continentiam* alterâ indigitans.

8. Non solùm igitur Virtutes sunt *Continentia* & *Tolerantia*; sed præcipuæ, maximéque propriæ; quemadmodum vel ipsarum nominibus innui videtur, dum appellantur ἐγκράτεια & καρτερία. Utraque enim appellatio à κράτος est, quod *vires* atque *robur* significat: Omnem autem Virtutem *vim* quandam animæ esse suprà definivimus. Has verò duas ad illam animæ partem maximè referri manifestum est quam *Pythagorei* vocant τὴν δύναμιν καὶ τὴν ἀλκὴν τῆς ψυχῆς, *vim atque robur animæ*; quâ sistere se potest, vel in motum excitare. Ad hanc igitur facultatem potissimùm spectant illa præclara *Marci Antonini* præcepta, *Absterge imaginationem*; *Neurospasti tui motum siste*. (Corporis putà quod movetur per nervos.) Quod officium *Continentiæ* sive ἐγκρατείας valde est genuinum; addo & καρτερίας sive *Tolerantiæ*.

Τὸν εἰς ἑαυτὸν l. 7. sect. 29.

9. Cæterùm de tribus *Primitivis Virtutibus* dictum est satis. Id tantùm monebimus, eas ità Primas esse Matrésque reliquarum, ut in eis solis omnis vis atque essentia omnium Virtutum contineri videatur; neque possit quisquam qui hisce ritè imbutus sit in reliquis acquirendis ullam reperire difficultatem. Quod innuendum duxi, nè frustrà in multa distrahatur animus, cùm perpauca hæc objecta sufficiant ad eum exercendum, & ad excipiendum omnes illius anhelitus sinceróque conatus ad possidendam Virtutem verámque cum Virtute Felicitatem.

10. Addo tantummodo, sine his neminem posse

posse ullâ Virtute revera esse præditum, sed omnia esse simulata & fortuita. Virtus enim omni errore carere debet; quod tamen fieri non potest absque illa quam suprà descripsimus *Prudentia*. Quòd si quis sine ipsa quicquam rectè fecerit, id profectò non tam Virtuti imputandum est quàm Casui vel Fortunæ.

11. Porrò, nec deesse potest Virtutibus *Sinceritas* sive *Simplicitas*, sine qua illæ non tam Virtutes quàm Virtutum quædam umbræ vel inanima simulachra haberi debent. Nam siquid ità admiscetur honestè factis, ut sine illo fine extrinseco & adventitio incertum sit, an fuissent unquam incepta vel perfecta; manifestum est istiusmodi facinora & nomen & naturam *Virtutis* prorsus perdidisse. Hoc enim non esset prosequi quod simpliciter & absolutè optimum est, sed quod sibi ipsi utilissimum est vitæque animali jucundissimum. Quod Virtutis officium non est, sed naturæ animalis impetus & astutia. Cùm è contrà quod verum, simplex sincerúmque sit, id naturæ hominis est aptissimum, hoc est, Rationi maximè consonum, ut rectè nos monet *Marcus Cicero*. *Offic. lib. 1.*

12. *Patientia* denique minimè omnium viro probo deesse potest, cùm sine illa nulla omnino sit de reliquis Virtutibus securitas. Nam qui mollis est vel ambitiosus, vel ullius affectûs animalis mancipium, nemini fidelis esse potest, non Principi, non Patriæ, non Religioni, non Amicis, non sibi ipsi, non ipsi denique Deo; omnes prodet, omnes omnibus quibuscunque periculis damnísque exponet, si vel minima spes suffulserit

rit ſeipſum expediendi abillis moleſtiis vitæque difficultatibus quas adeò timet atque horret. Quod quidem genus hominum omnium peſſimum eſt & à ſocietate humana omnique vera amicitia & juſtitia alieniſſimum. *Nemo enim* (quod ait *Cicero*) *juſtus eſſe poteſt, qui mortem, qui dolorem, qui exſilium, qui egeſtatem timet, vel qui ea quæ his ſunt contraria æquitati anteponit.* Tantam vim ad Probitatem habet unica hæc [illegible] quam *Patientiam* appellamus. *Offic. lib. 2.*

Cujus etiam partes indigitare videtur [illegible]us Orator & Philoſophus, dum ait, Ea [illegible]eximia pleriſque & præclara videntur, parva ducere, eáque ratione ſtabili firmâque contemnere, fortis animi magnique ducendum eſt: & ea quæ videantur acerba, ità ferre, ut nihil à ſtatu naturæ diſcedas, nihil à dignitate ſapientis, robuſti animi eſt magnæque conſtantiæ. Prior ſententiæ pars *Continentiæ* ſpeciem quandam ſubindicat, poſterior *Tolerantiam* ſive [illegible]. Breviter verò tandem addit, *Non eſſe conſentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate; nec qui invictum ſe à labore præſtiterit, vinci voluptate.* Quibus iterum verbis duæ illæ Patientiæ partes planiſſimè ſignificantur, *Continentia*, & *Tolerantia*. Atque hæc de tribus *Primitivis* Virtutibus breviter dicta ſunto.

CAP.

CAP. IV.

De prima trium Principalium Virtutum Derivativarum, Justitia, *idque in genere.*

1. VIrtutes *Derivativæ Principales* tres itidem sunt, *Justitia*, *Fortitudo*, *Temperantia*. *Justitia* à Jurisconsultis non inscitè definitur *Constans & perpetua voluntas suum cuique tribuendi*. Ad quem ferè sensum ipse *Aristoteles* etiam eam definit. Unde manifestum est foràs eminere hanc Virtutem, rectéque ab *Aristotele* ἀλλότριον ἀγαθὸν *Bonum alienum* appellari: præsertim si eam partem spectes quæ officia erga homines complectitur. Pars enim ea continet quæ debentur Deo, cui tamen nullis nostris officiis prodesse possumus, nec felicitatem illius ullis injuriis frangere vel diminuere. Principia *Justitiæ* petenda sunt è *Noematis* 13, 14, &c. usque ad *Noema* 23. *Ethic. Nicom. lib. 5. cap. 10.*

2. Quod hæc Definitio *Suum* vocat, *Jus* etiam sæpissime à Jurisconsultis appellatur. Est autem *Jus* id omne quod ex justa quadam habitudine & congrua ad aliquem pertinet tanquam ipsi proprium. Habitudo autem hæc oritur ex Fundamento aliquo in persona cui hoc jus debetur vel attribuitur, sive illud qualitas sit, sive actio, sive passio aliqua latissimo sensu sumpta. Nam quòd quis pauper sit &

probus, jus quoddam habet ad eleemosynas. Si quis honestâ industriâ aliquid acquisiverit, id jure possidet: Itidem, siquid alicui dono datum fuerit. Et sic in cæteris.

3. Tametsi verò à rebus ipsis oritur omne jus, clarè tamen non intelligitur nec discerni- Lib. 5. cap. 9. tur sine respectu ad *Legem* aliquam. *In illis enim Jus est in quibus & Lex ponitur*, inquit *Andronicus Rhodius* ex mente *Aristotelis*. *Lex enim & Judicium est discriminatio justi & injusti.* Lex autem non una est, ut neque *Jus*. Est enim Jus ipsum φυσικὸν vel νομικὸν, *naturale* vel *legale*, & *Lex* ipsa vel φυσικὴ vel θετικὴ, *naturalis* vel *positiva*. Ex prima oriuntur Jura ἀμετάβλητα καὶ ἀναλλοίωτα, ut loquitur *Andronicus*; ex altera Jura *mobilia* & *mutabilia*, quæ ubique nec obtinent nec obtinere debent.

4. *Naturalem* illam *Legem* verbis sanè perquam magnificis, sed veris tamen aptisque, delineavit *Cicero* primo de Legibus: *Constituendi verò Juris ab illa summa Lege capiamus exordium quæ seculis omnibus antè nata est quàm scripta Lex ulla, vel quàm omnino civitas constituta.* Quòd autem postea Dei immortalis naturâ, ratione, potestate, mente, numine naturam omnem divinam regi velit, (qualem animum nostrum aperte profitetur,) in eo optimæ perfectissimæque Legis fontem nobis aperuit.

Quid est enim, inquit ille, *non dicam in homine, sed in omni cœlo atque terra, Ratione divinius? quæ cùm adolevit atque perfecta est, nominatur rite Sapientia. Est igitur (quoniam nihil est Ratione melius, eáque est in homine & in Deo)*

Deo) primæ homini cum Deo Rationis ſocietas. Quæ cùm ſit Lex, Lege quoque conſociati homines cum Diis putandi ſumus. Unde planè innuit ſummam illam ſupremámque Legem Deorum pariter atque hominum communem *rectam* eſſe *Rationem*; unde & homini cum Deo ſimilitudinem eſſe contendit.

5. Et rurſus in Libro ſecundo, hanc *Legem naturalem* deſcribens, Rationem eam ait eſſe à rerum natura profectam, quæ non tum denique incipit Lex eſſe cùm ſcripta eſt, ſed tum cùm orta eſt; ortam autem ſimul eſſe cum mente Divina; ac proinde Legem veram atque principem, aptam ad jubendum & ad vetandum, *Rationem* eſſe *rectam* ſummi Jovis. Quæ ſententia conſimilis eſt illis quas ex *Zenone* ſuprà citavimus *Marcóque Antonino.* *Cap. 3. ſect. 3. Cap. 1. ſect. 7, 8, 9.*

6. Omnes autem pariter indicant ſummam Legem eſſe *rectam Rationem:* Rationem verò rectam, ut quæ divinum quiddam eſt, ex ſe immutabilem eſſe, ſibíque ſemper ſimilem. In ſubjecto autem mutabili, qualis eſt humana natura, non tam mutatur quàm deſtruitur vel extinguitur. Sed in Deo ipſo beatorúmque Spirituum cœtu, quos ille Deos immortales vocat, ſemper incolumis conſervatur.

Quod id ipſum eſt quod mihi innuere videtur optimus ille *Ariſtotelis* Interpres *Andronicus* in ſua Paraphraſi: *Tametſi enim apud homines omnia Jura eſſent mutabilia, apud Deos tamen neceſſe eſt ut ſit Jus immutabile, ac proinde ut Jus ſit aliquòd naturale. Imò verò etiam apud homines qui rectè atque ſanè ſe habent eſt Jus immobile, quod* *Lib. 5. cap. 10.*

Naturale dicitur. Quòd si mente morbidis ac perversis justum non apparet, nihil refert. Neque enim qui dicit mel dulce ideo fallitur quia ægrotantibus ità non videtur.

Est igitur quædam æterna atque immutabilis Lex Deo hominibúsque quodammodo communis, quæ *Recta Ratio* dicitur, quæque tametsi homines improbos tanquam morbidos & vitiosos fugere potest, semper tamen innotescit hominibus sanis veréque prudentibus, quemadmodum * suprà fusiùs explicavi; unde nihil necesse est hîc diutiùs hisce immorari.

* *Cap. 2. sect. 1, 6, 7.*

7. Ex hac autem suprema immutabilíque Lege omnia derivantur Jura, etiam illa quæ dicuntur mutabilia, quæ nullam vim haberent nisi virtute hujus summæ & æternæ Legis, cujus pars conspicua est rerum contractarum fides.

Virg. Æneid. lib. 8. ——*At tu dictis, Albane, maneres.*

Ex eo igitur quòd quisque tenetur pactis stare, obligatur ad ea Jura quæ talia Natura non sunt, sed Lege, cùm Lex ipsa pactum sit, modò nihil sit pactum contra supremam illam & immutabilem Legem: Hujusmodi enim pacta nullâ autoritate vim Legis habere possunt. Quod enim suâ naturâ injustum est, nulla externa consideratio justum efficere potest.

De Legibus lib. 1. Qua de re præclarè *Cicero*. Quòd si populorum jussis, si Principum decretis, si sententiis Judicum Jura constituerentur; jus esset latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa

falsa supponere, si hæc suffragiis vel scitis multitudinis probarentur. Quæ si tanta potentia est stultorum sententiis atque jussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur, cur non sanciunt ut quæ mala, & perniciosa sunt derepente fiant bona & salutaria? Quæ quidem tam malesanæ opinionis condigna est reprehensio & irrisio.

8. Patet interim ex dictis, quòd ex suprema illa Lege quæ *Recta Ratio* dicitur omnis profecta est perfecta Juris cognitio; ex Juris autem observatione omnis Justitia.

CAP. V.

De Pietate.

1. *Justitia* has duas partes in se complectitur, *Pietatem*, & *Probitatem*. Nam & ipsa Pietas *Justitia* quædam est, quâ Deo tribuimus quod suum est, hoc est, quod jure illi debetur. Jus autem Dei vulgò *Cultus* illius dicitur, quemadmodum apud *Platonem Euthyphro* illud appellat τιμὴν καὶ γέρας. Quod quidem in eo consistit maximè, ut non segniter contendamus eum rectè cognoscere; ut ritè cognitum toto animo amemus & honoremus; cúmque ab eo toti simus ab ejúsque nutu pendeamus, ut nos totos, id est, omnes animi corporísque vires, illi devoveamus & consecremus, nos nostráque omnia illius voluntati submittamus, ipsiúsque confidamus Pro-

videntiæ; ut illius denique juſſis præceptiſque (ſive externo alicui codici inſcripta ſint, ſive mentibus noſtris inſculpta) adeò adhæreamus, ut omnem infamiam, egeſtatem, cruciatum, mortémque denique ipſam, ſubire malimus, quàm integritatem conſcientiæ noſtræ contra ipſum peccando violare. Hæc ſunt Jus Dei, ex quibus ſiquis detrahere quid velit, neceſſe eſt ut, quantum in ſe eſt, Deum ipſum afficiat injuriâ.

2. Quòd autem in hiſce ipſis præcipuus Dei cultus conſiſtat, ex eo manifeſtum eſt, quòd omnes ferè per *cultum* intelligunt honorem Deo exhibitum. Deum autem maximè honorant qui, cùm præſtantiam Divinæ Naturæ rectè intelligunt, quantáque inter ipſam Mentémque noſtram intercedit affinitas & ſimilitudo, omnibus nervis contendunt ut illa pars animæ noſtræ expoliatur & corroboretur quâ maximè Deo ſimiles ſumus, itáque erga hanc ſanctiſſimam Dei imaginem affecti ſunt, ut vel acerbiſſimam quamvis mortem oppetere malint, quàm eam unquam ſinere vitio quovis vel peccato lædi aut contaminari.

3. Nullum, inquam, hoc majus honoris atque amoris noſtri erga Deum indicium eſſe poteſt, quantíve nos ipſum æſtimamus luculentius τεκμήριον. Quippe quòd dum vel hanc qualemcunque illius effigiem & ſimilitudinem tanti facimus, ut non dubitemus omnes hujus vitæ voluptates, vitámque adeò ipſam, illius divinioris vitæ ſenſûſque (quæ in Ratione recta verâque Virtute cernuntur) ſanctitati ſuavitatíque

tíque poſtponere, clarè demonſtramus Deum ipſum, qui infinitis vicibus hâc ipſius umbrâ & imagine excellentior eſt, affectu infinitis, ſi fieri poteſt, vicibus majori à nobis honorari atque coli. Cùm interim qui Mentis cultum negligunt planè indicant ſe aut Deum non nôſſe, aut Divinam Naturam non quanti debent æſtimare.

4. Quòd autem Virtus divinum quiddam ſit, veráque Dei imago, ex ipſius definitione ſatis intelligitur; cùm Virtutis ſit ſemper illud proſequi quod ſimpliciter & abſolutè optimum eſt, non quod animali vitæ gratiſſimum. Qui quidem rerum ſenſus planè divinus eſt, ſupráque naturam animalem poſitus.

Quòd autem hujuſmodi ſit Virtus, purgatúſque intellectus, abunde teſtimoniorum eſt apud veteres Philoſophos. Ut apud *Platonem* in *Theæteto*, ubi docet tum demum finem fore miſeriis, quando quis ex hoc mortali ſtatu fugerit ad Deos. *Fuga verò* (inquit ille) *eſt Deo ſimilem effici, quantum fieri poteſt: Similitudo verò, juſtum ſanctúmque fieri cum Prudentia.* Et paulò pòſt; *Deus nullo omnino modo injuſtus eſt, ſed quàm fieri poteſt juſtiſſimus: nihilque illi ſimilius quàm quivis è nobis qui rurſum factus ſit quàm juſtiſſimus.*

5. Rurſus, in Epiſtola octava ad *Dionis* propinquos & familiares, Divinam Naturam hominibus frugi Legem normámque ſtatuit. *Deus hominibus probis ac prudentibus Lex eſt, inſipientibus verò Voluptas.* Ad quem ſenſum iterum loquitur quarto de Legibus: *Rerum omnium menſura nobis Deus ſit maximè, multóque magis*

quàm homo quilibet: Minimè verò omnium Animalis homo. Et paulò pòst, *Quicunque probus prudénsque est, Deo est amicus: est enim illi similis. Qui verò probus prudénsque non est, dissimilis est, dissidens & injustus.* Quibus omnibus innuit *Plato* divinum quiddam esse Virtutem, ipsíque Deo consimilem & cognatam.

Quæst. Tusc. lib. 5. 6. Ex hoc etiam est quòd *Cicero* tam magnificè de animis humanis philosophatur. Humanus autem animus decerptus ex mente Divina cum alio nullo nisi cum ipso Deo, si hoc fas est dictu, comparari potest. Et in primo de Legibus Delphicum illud Oraculum, *Nosce teipsum*, aliquantò fusiùs interpretans, *Nam qui se* (inquit) *ipse novit, statim aliquid sentiet se habere divinum, ingeniúmque in se suum sicut simulacrum aliquod Deo dedicatum putabit, tantóque Dei munere semper dignum aliquid & faciet & sentiet.*

7. Quibus denique consona sunt quæ passim apud *Marcum Antoninum* reperiuntur. Ut lib. Τῶν εἰς ἑαυτὸν *lib.* 12. *sect.* 19. 12. *Agnosce tandem quòd aliquid præstantius & divinius in te habes quàm quæ Passiones movent, quámque quæ, ut verbo dicam, ad instar Neurospasti membra tua per nervos trahunt agitántque.* Et paulò pòst, *Mens cujusque Deus est, atque illinc effluxit.* Et rursus, Lib. * 8. *Quid amplius quæris quàm præsens opus Intellectualis animalis quod communionem amat, eisdémque gaudet legibus quibus ipse Deus?*

* *Sect.* 2.

* *Sect.* 22. Denique, Libro * quinto, (infinitum enim esset omnia congerere,) quid sit versari cum Diis immortalibus breviter indicans, *Ille vitam*, inquit,

quit, *agit cum Dijs, qui ea facit quæ vult Deus ille quem unicuique dedit Jupiter Præsidem ac Ducem. Hic verò uniuscujusque est Intellectus atque Ratio.* Quem adeò Deo cognatum autumat, ut etiam ipsius ἀπόσπασμα *partem avulsam* appellitet: quanquam id sanè haud ità philosophicè ab ipso dictum sit.

8. Cùm igitur tanta sit in Virtute mentéque nostra divinitas, palàm est, si Virtutem colamus μετ' ἀναφορᾶς πρὸς τὸν θεὸν, (*cum relatione ad Deum,*) tanquam vivam Dei imaginem, quòd ipsum Deum modo optimo & præstantissimo colimus; quódque, cùm alii Ritus variari possint nec æterni fuerint, hoc unicum Jus sit Dei immutabile & æternum. Ità ut summa ferè naturalis *Religionis* in eo *Antonini* præcepto constituta videatur; *Meminisse Dei, quódque ille non amat demulceri adulationibus, sed Rationalia omnia sibi similia effici*: vel, quod alibi monet, *In hoc uno oblectari & acquiescere, in transeundo scilicet ab una actione quæ bono publico inservit ad aliam publicam actionem cum recordatione Dei.* Hoc enim est Jus Dei maximè *immutabile & immobile*, ut eum ex amore ipsius perfectionis, quantum possumus, imitemur.

Τῶν εἰς ἑαυτὸν lib. 10. Lib. 6. sect. 7.

9. Quod tamen alia Jura non excludit, sive illa fuerint per Divina aliqua oracula patefacta, sive summi Magistratûs jussu stabilita. Quales esse possunt varii Ritus & Ceremoniæ, cæteræque id genus Divini cultûs circumstantiæ, quæ virtute legis jura etiam fiunt Divina; quæ violare fas non est, priusquam legitimâ autoritate abrogentur, modò nec Divinis oraculis

nec

nec ſupremæ Virtutis Legi repugnent.

10. Quid igitur ſit *Pietas* ex dictis ſatis intelligitur. *Sanctum enim Juſti pars eſt*, deſinente *Platone*. Ad quem ferè ſenſum eam etiam definit *Andronicus Rhodius*, *Scientiam fideles nos prebentem & ſervantes Divini Numinis jura.* Unde facilè percipitur quid ſit *Impietas*, & quàm rectè in hos modos diſpeſci poſſit, *Superſtitionem* putà, *Prophanitatem*, *Enthuſiaſmum* ſive *Spiritualitatem*, & *Ritualitatem*.

11. Eſt enim ipſa *Superſtitio* quædam Impietatis ſpecies ſive modus, cùm ea Deo affingat quæ ad illius faciunt contumeliam; quod planè eſt injuriâ Divinum Numen afficere. Eſt igitur *Superſtitio Impietas quâ Deum ità levem aut iracundum quis cogitat, ut rebus nihili placari eum putet, eiſdémve ad iram commoveri.*

Prophanitas autem Impietas eſt quâ quis audacter & impudenter omnia jura Divina violat, tam mobilia quàm immobilia. Qui morbus aliquando eouſque adoleſcit ut in perfectum abeat *Athei ſmum*, quo nullus animæ ſtatus eſſe poteſt funeſtior aut deploratior.

12. *Enthuſiaſmus* eſt Impietas quâ quis, dum magno ſanè animi ſtudio atque impetu ad internum illum ſpiritualémque Dei cultum fertur, exteriora interim illius jura audacter violat fœdéque conculcat.

Ritualitas autem eſt Impietas quâ quis, dum exteriora illa Dei jura obſervat, Ritibúſque & Ceremoniis non ſine aliquali conſcientia & ſtudio adhæret, in eis tamen quæ ad ſpiritualem illum internúmque Dei cultum ſpectant

ciant friget planè ſtupétque, nihilque prorſus ſapit.

13. Hæc ſunt ferè Vitia circa Religionem quæ mihi in præſens occurrunt. Si quis ſe putet per otium alia poſſe excogitare, nihil abnuo. Hæc mihi ſufficiunt, cujus inſtitutum eſt non tam de Vitiis quàm de Virtutibus tractare, cùm ex his illa ſatis facilè intelligi poſſint. *Eſt enim amborum judex Norma*, quemadmodum monet *Ariſtoteles*. *De Anima lib. 1. cap. 5.*

Præſentis verò Virtutis demonſtratio ſpeciatim reſolvitur in *Noemata* 13, 16, 21; item in *Noemata* 5, 8, 10, &c. Quòd autem Deus exſiſtit, Animáque noſtra immortalis eſt, abunde demonſtravimus in Libris *adverſus Atheiſmum*, déque *Animæ Immortalitate*.

CAP. VI.

De Probitate, ſive de Juſtitia propriè dicta.

1. ALtera pars *Juſtitiæ* eſt *Probitas*, quâ hominibus quæ ſua ſunt tribuimus. Illa in tres partes diſtribui poteſt, *Politicam*, *Oeconomicam*, *Ethicam*. *Politica* continet officia Magiſtratûs erga Populum, Populíque rurſus erga Magiſtratum. *Oeconomica* Patrisfamiliâs erga uxorem, liberos famulóſque, atque horum itidem erga Patremfamiliâs. *Ethica* denique Privatorum, aut ſaltem parium, erga ſe invicem. Quæ ſigillatim proſequi nimis prolixum eſſet,

2. Sum-

2. Summatim tantùm dicam, Magistratûs esse nihil ex libidine contráque rationem committere, sed omnia agere ex Legis præscripto rectæque Rationis. Est enim Magistratus νόμου ἔμψυχος, *Anima quasi Legis atque Spiritus*, ut in Ethicis alicubi notat *Aristoteles*: rursúsque ab ipsis Legibus debet animari ac dirigi, quemadmodum rectè monet *Cicero*. Videtísne Magistratûs hanc esse vim ut præsit, præscribat recta & utilia & conjuncta cum legibus? ut enim Magistratibus Leges, ità populo præsunt Magistratus.

Ethic. Nicom. lib. 5.

De Legibus lib. 3.

Populi autem officium est parere Magistratui, sumptúsque administrandæ Reipublicæ liberè atque alacriter suppeditare; de rebus adiaphoris quæ in jura abiêre non contendere, sed pacem ubique colere, morémque atque ordinem servare.

3. Patrisfamiliâs est Familiæ prospicere, necessariáque procurare; uxorem, liberos famulósque mansuetè & clementer tractare; omniáque mala & pernicíosa exempla quàm maturè supprimere, aut domo exturbare. Familiæ contrà, debitam ipsi observantiam præstare, nec cum illo temerè, licèt in re paulò justiori, contendere aut altercari; quemadmodum monet *Pittacus*, *Noli concertare cum parentibus, justa sint licèt quæ loqueris*. Quod ad Magistratum etiam rectè transferri potest, & ad omnes omnino qui nobis superiores sunt sive ætate sive Cognationis ordine; quales speciatim sunt parentum fratres, quos Græca Antiquitas θείους, quemadmodum parentes ipsos πατέρας, appellabat, quod alicubi notat *Simplicius* in *Epictetum*.

4. Pri-

4. Privatorum denique ſive Parium officium eſt, vel potiùs omnium, mutuò ſibi, ubi opus eſt, opitulari, pactis ſtare, omniáque erga ſe invicem bonâ fide peragere, nec ſuum ullubi commodum alieno quærere incommodo.

5. Ad *Politicam* præcipuè ſpectat celebris illa *Juſtitiæ* Diviſio in διανεμητικὴν & διορθωτικὴν, (i. e.) *Diſtributivam* & *Correctivam*. In iſtis intelligitur *Ariſtotelicum* illud, τὸ ἴσον νέμειν, quódque *Juſtitia* quædam ſit *æqualitas*. Eſt autem æqualitas quam affectat Juſtitia illa quæ in proportione cernitur. Eſt enim *proportio*, ſive ἀναλογία, ἰσότης τῶν λόγων, *Rationum æqualitas*.

6. Analogia autem, ſive Proportio, *Geometrica* eſt, vel *Arithmetica*. *Geometrica proportio* eſt, quando quatuor magnitudines vel numeri ità comparantur, ut intelligatur tertius toties continere quartum, vel ab ipſo contineri, quoties primus ſecundum continet, vel ab eo continetur. Ut in 2. 6 :: 4. 12. vel in 6.2 :: 12. 4. Hæc proportio ad *Juſtitiam Diſtributivam* ſpectat. Nam ut perſona ad perſonam, putà *Ajax* ad *Achillem*, ſic honor ad honorem ſe habere debet. Quæ eſt *proportionis* æqualitas. Quòd ſi merita æqualitatis rationem haberent, etiam præmia non ſolùm *ratione*, ſed *magnitudine*, deberent eſſe æqualia.

7. *Arithmetica proportio* eſt, quando ità comparantur quatuor numeri vel magnitudines, ut idem exceſſus vel defectus ſit binorum priorum unius ad alterum qui unius binorum poſteriorum ad alterum eſt, hoc eſt, ut ſit utro-

utrobique excessûs vel defectûs æqualitas. Ut in 5,7,9,11. Quæ spectat ad *Justitiam Correctivam.*

Quanquam, ut ingenuè fatear quod res est, non tam facilè deprehenditur in *Correctiva Justitia* hujus *Arithmeticæ* proportionis in hujusmodi quatuor terminorum distinctione satis expressa Imago. Ipsi enim excessus vel defectus æquales è numero terminorum non sunt, quod tamen innuere videtur *Andronicus Rhodius.* Sed si quatuor terminos fingere velimus, necesse esse videtur ut binos priores statuamus tum hunc cui injuria illata est, tum eum qui intulit injuriam; verùm hâc ratione, ut intelligatur nondum esse ad Judicem factam appellationem, nec contra reum sententiam latam. Quatenus autem injuriâ affectus Actor postea fit, qui que affecit eum injuriâ Reus, alteri bini termini emergunt, & post latam à Judice sententiam excessus ille qui est inter injuriâ affectum atque hunc qui eum injuriâ affecit invertitur; hoc est, bonum illud quod unus ab altero injustè abstulit ad alteros binos sic transfertur, ut quemadmodum ille qui alterum affecit injuriâ hoc bono alterum superabat, ità, post latam sententiam, eodem bono ab illo itidem superetur, id est, tanto mulctetur vel minuatur bono quanto alterum spoliaverat: Unde necesse est ut tantò superet Actor Reum, quantò affectum injuriâ is qui affecit eum superaverat, vel saltem ut æquentur: quæ planè est proportio *Arithmetica.*

Lib. 5. cap. 5.

8. Quò etiam collineare mihi videntur illa *Andronici* verba quibus explicare cupit hanc proportionem: *Est enim ut is qui injuriam intulit*

Lib. 5. cap. 5.

ad

ad affectum injuriâ, ſic Judex ad eum qui intulit injuriam. Nam quæ fecit adversùs affectum injuriâ is qui injuriam intulit, bis æqualia patitur à Judice. Quæ intelligi debent tam de defectûs quàm exceſſûs æqualitate. Qui has minutias ſectari velit, adeat dictum Paraphraſten, qui fuſiùs & operoſiùs inutili huic ſubtilitati inſudat. Nam quod ad me attinet, in ea ſum ſententia, quòd nihilo pejùs quiſquam *Juſtitiam correctivam* exerciturus eſſet, licèt de *proportione Arithmetica* nihil quicquam à quoquam unquam audiviſſet.

9. Ad rem noſtram magis faceret ſi notaretur illa *Juſtitiam* inter atque *Æquitatem* tam diſtinctio quàm cognatio, quæ utræque ſimul comprehenduntur ab *Andronico* hâc ſententiâ: *Æquum enim & juſtum eſt, & præſtantius etiam quodam juſto. Neque tamen ut diverſi generis à juſto eſt ipſo præſtantius, ſed tanquam pars, alterâ particulâ ſub eodem genere poſitâ.* Poſtea verò, *Æquitatis* naturam pleniùs & diſtinctiùs demiens, *Hæc verò*, inquit, *eſt æquitas ſecundum quam defectus Legis ſuppletur, errórque corrigitur, & reſtrictio, quam illa præterierat, quia omnia particulatim prævidere non poterat, ſuperadditur.* Lib. 5. cap. 16.

10. Quam *Æquitatis* definitionem operæ pretium erat notare, cùm aliquid ſuâ naturâ juſtum eſſe tam planè arguit. Nam ſi nihil juſtum eſſet niſi virtute Legis alicujus ſcriptæ, quid, obſecro, opus eſſet hâc Legis emendatione, cùm ipſa Lex qualiſcunque ſit rem quamlibet juſtam efficeret? *Æquitatis* autem eſt ipſam Legem

Legem corrigere, *eâque in datis circumstantiis statuere quæ, si illas cognovisset, ipse Legislator statuisset*, quemadmodum monet *Aristoteles*. Quæ tamen sententia valde ridicula esset, si natura *Justi* & *Injusti* ab arbitrio Legislatoris prorsus penderet, non ab ipsa natura rerum & circumstantiis. Atque hæc de *Justitia*.

Ethic. Nicom. lib. 5. cap. 14.

CAP. VII.

De reliquis duabus Principalibus Virtutibus Derivativis, Fortitudine & Temperantia.

1. *Fortitudo* & *Temperantia* in eo conveniunt, quòd ad nosmetipsos immediatius spectent; quanquam earum, perinde ac reliquarum omnium Virtutum, utilitas proximo etiam applicari potest, in eumque quodammodo redundare, quam *Universalem Justitiam* appellant. *Omnibus enim Virtutibus ad proximi commodum uti, hæc est justitia*, inquit Paraphrastes *Rhodius*. Sic ab aliena abstinere uxore *Justitiæ* perinde est ac *Temperantiæ*, & hostem à Patriæ finibus amoliri *Justitiæ* & *Fortitudinis*: Id enim officium Patriæ debetur, nec sine Fortitudine præstari potest.

Lib. 5. c. 1.

2. Quid autem *Fortitudo* sit, ex *viri Fortis* descriptione, tum apud *Ciceronem*, tum apud *Aristotelem*, facilè constabit. *Fortis enim animi & constantis est* (inquit *Cicero*) *non perturbari*

De Offic. lib. 1.

in

in rebus aſperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ſed præſentis animi uti conſilio, nec à ratione diſcedere. Illud verò ingenii magni, præcipere cogitatione futura, & aliquantò antè conſtituere quid accidere poſſit in utramque partem, & quid agendum ſit cùm quid evenerit maturiùs deliberâſſe. Hæc ſunt opera magni animi & excelſi, & prudentiâ conſilióque fidentis. Temere autem in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam & belluarum ſimile eſt. Sed cùm tempus eſt neceſſitáſque poſtulat, decertandum manu eſt, & mors ſervituti turpitudinique anteponenda. Nunquam enim periculi fugâ committendum eſt ut imbelles timidique videamur. Sed fugiendum etiam illud eſt, nè offeramus nos periculis ſine cauſa, quo nihil poteſt eſſe ſtultius. Hæc *Cicero.*

3. *Andronicus* verò ex mente *Ariſtotelis* unam *Fortis viri* partem definit, quòd intrepidè *maxima* adire audet pericula. *Fortis itaque eſt qui maxima malorum non timet.* Unde iterum & ipſe *Cicero*; *Fortitudinis munera duo maxima ſunt, mortis doloriſque contemptio. Andronicus* verò accuratiùs circumſtantias deſcribit, addens porrò oportere eſſe in hujuſmodi conſtitutum periculis *in quibus inflexibili quadam animi vi impetúque voluntatis uſus eſt, vel ubi mors honorifica eſt. Propriè enim fortis eſt qui præſtantiſſimam mortem lubenter tolerat.* *Lib. 3. c. 7.* Andronic. Rhod. *l.* 3. *cap.* 8.

Et paulò ſuprà *Fortem* deſcribit ex eo quòd ſit *circa pulchram mortem intrepidus.* Mortem verò illam pulchram eſſe quæ Virtutis, non affectûs alicujus, cauſâ oppetitur. *Nam qui inſi-*

liunt & irascuntur non propter id quod honestum est, sed solummodo ex passione, fortes revera non sunt, sed pugnaces. Ex quibus omnibus efficitur, *Fortitudinem Virtutem esse quâ quis constanti animo summa vitæ pericula, ipsámque adeò mortem, subire potest honestatis causâ, sive ex amore illius quod simpliciter & absolutè optimum est.*

4. *Constanti* autem animo dico, non *indolenti: Dolere enim & morderi ab acerbis nihil prohibet quo minùs quis fortis sit. Quantò enim magìs quis gravatur & gravatus sustinet boni causâ, tantò magìs propriè hic fortis est habendus,* ut rectè & ad mentem *Aristotelis* monet Paraphrastes *Rhodius.* Addo etiam, *honestatis causâ.* Animus enim paratus ad pericula si suâ cupiditate, non utilitate communi, impellitur, *Audacia* potiùs nomen habeat quàm *Fortitudinis.*

Lib. 3. c. 9.

5. Fortis igitur Animus & magnus duabus rebus maximè cernitur: Quarum una in rerum externarum despicientia ponitur; cùm persuasum sit nihil hominem, nisi quod honestum decorúmque sit, aut admirari aut optare aut expetere oportere, nullíque neque homini neque perturbationi animi nec fortunæ succumbere. Altera est res, ut cùm ità sit affectus animo, res insuper gerat magnas maximéque utiles, sed & vehementer arduas, plenâsque laborum & periculorum tum vitæ, tum multarum aliarum rerum quæ ad vitam pertinent. Quæ præstantissima *Ciceronis* sententiæ definitionis nostræ haud incommoda paraphrasis esse potest.

De Offic. lib. 1.

6. Quemadmodum verò *honestatis causâ*

vel

vel maxima ſubeunda ſunt pericula, ità ejus ſolius causâ prætermittendæ ſunt corporis voluptates; alioquì non tam *Temperantia* eſſet, quàm Stupiditas quædam ànimi vel Moroſitas. Vera enim Virtus nulla eſſe poteſt, quæ pro fine non habet id quod honeſtum eſt ſive ſimpliciter bonum.

Temperantia igitur ità definienda eſt, ut ſit *Virtus quâ quis voluptates corporis in eum finem omittit, ut illâ voluptate quæ ex rectè factorum conſcientia proficiſcitur facilius conſtantiúſque fruatur.* Nam ſolius ſanitatis corporis conſervandæ gratiâ *Temperantiam* colere, Virtus ſanè Pecudis eſſe poteſt, Hominis verò nullo modo; quippe quæ non pertingit ad illud quo homines ſumus, ſed ad id ſolum quod nobis cum brutis animalibus commune eſt.

7. Per *corporis* autem *voluptates* hîc intelligo, non eas quidem leviores puriorésque quæ *viſu*, *auditu*, vel *olfactu* hauriuntur; ſed, cum *Ariſtotele*, craſſiuſculas illas quæ percipiuntur *guſtu tactúque*, quæque ad *Venerem* referuntur, & ad illius fautores & comites *Bacchum Cererémque*. Hiſce cancellis plerique omnes claudunt *Temperantiæ* objectum: Unde planè conſtat eam particulam duntaxat eſſe illius Primitivæ Virtutis quam *Continentiam* appellavimus, quemadmodum *Fortitudinem Tolerantiæ*. *Ethic. Nicom. lib. 3. cap. 13.*

Rationes *Temperantiæ* & *Fortitudinis* petendæ ſunt è *Noematis* 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12; utì & *Probitatis* è *Noematis* 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 22, 23: prout cuivis qui periculum fecerit clarè patebit.

CAP. VIII.

De Virtutibus Reductitiis.

1. EXplicata est natura trium principalium *Virtutum Derivativarum*, earúmque rationes è *Noematis* breviter indicatæ.

Ad has tres Virtutes reliquæ quæ supersunt omnes non incommodè reduci possunt, unde *Virtutes Reductitias* eas haud immeritò appellare poteris. Rationes verò singularum ex eisdem ferè *Noematis* petendæ sunt quibus Virtutum principalium ad quas reducuntur.

2. Ad *Justitiam* revocantur *Liberalitas*, *Magnificentia*, *Veracitas*, *Gratitudo*, *Candor*, *Urbanitas*, *Fidelitas*, *Verecundia*, *Humanitas*, quæ φιλανθρωπία dicitur, *Hospitalitas*, quæ φιλοξενία, ipsa denique *Amicitia*, & id genus reliquæ quæ officia erga alios continent, ut *Affabilitas*, *Comitas*, propriéque dicta *Officiositas*, quæ *Humanitatis* etiam quidam modi sunt. Nam cùm ad alios spectent harum Virtutum omnium effecta, & à Recta Ratione, quæ ad instar Legis cujusdam est, dictentur, *Justitiæ* quasdam partes esse necesse est.

Ad *Fortitudinem* revocantur *Magnanimitas*, &, quæ huic affines sunt, *Generositas* & *Lenitas*, *Constantia* etiam & *Diligentia*; quibus addas, ex *Andronico*, quas ille appellat εὐψυχίαν, λῆμα, ἀῤῥενότητα, ἀνδραγαθίαν, hoc est, *Vivacitatem*,

tem, Animi præſentiam, Strenuitatem, & *Virilitatem.*

Ad *Temperantiam* denique referuntur *Frugalitas, Humilitas, Modeſtia*, Αὐτηρία ſive *Auſteritas*, cæteræque quas huic generi accenſet idem *Andronicus*, ut Εὐτέλεια, Λιτότης, Κοσμιότης, Αὐτάρκεια, i. e. *Vilius facilitas & Tenuitas, Geſtûs inculpabilitas, Animúſque contentus.*

Virtutum hæc ſunt potiſſima *Reductitiarum* nomina quæ occurrunt. Omnia enim corradere inſtituti noſtri non erat, nec corraſa accuratiùs definire; cùm earum natura ſatis poſſit intelligi ex *Virtutibus Principalibus* vel *Primitivis* ad quas referuntur.

3. Cæterùm non abs re erit ſingulas leviori aliquo modo ὡς ἐν τύπῳ deſcribere, poſtquam monuimus ſummatim quod ad omnes eas pertinet, præſertim quæ ad *Juſtitiam* referuntur, quòd ſunt partes illius Juſtitiæ quam *Rhodius* ille Interpres εὐγνωμοσύνην vocat, definítque δικαιοσύνην ἑκούσιον *Juſtitiam voluntariam.* Unde cujuſque probitas in hiſce magis ſpectatur ubi impunè peccare poteſt, quàm in eis ubi ſi peccat peſſimè audit, aut in jus trahitur pœnáſque luit.

4. *Liberalitas* verſatur circa pecuniarum uſum. *Pecuniarum verò uſus nihil aliud eſt quàm carum ſumptus & largitio.* Si quis igitur κατ' ἀναλογίαν τῆ οὐσίας, *pro ratione ſuarum opum*, lubens hilaríſque ſumptus facit, ubi, in quæ, & in quem finem oportet, *liberalis* eſt: qui ſine menſura & diſcrimine dat, *prodigus*; qui citra hanc legem & menſuram, *illiberalis.* Andronic. Rhod. l. 4. cap. 1.

5. *Magnificentia* etiam circa ſumptus verſatur, ſed ſolos, eóſque magnos, quod & nomen innuit. Atque ratio etiam hîc habenda eſt tam perſonæ quàm operis & finis. Neque enim quemvis hominem decet magnos ſumptus facere; nec qui facit, niſi in magna opera & ſplendida, præclaróſque in fines, faciat, propriè *magnificus* eſt. Igitur pleraque fiunt εἰς τὸ κοινὸν, ἢ εἰς τὸ θεῖον, *in Publicum, inque Divinum numen*, ut monet *Ariſtoteles*. *Ethic. Nicom. lib. 4. cap. 5.*

6. *Gratitudo* eſt pars Juſtitiæ præſtantiſſima & liberrima, quâ, qui beneficium recepit, promptè & perlubenter quàm primùm poterit rependit etiam cum fœnore.

7. *Veracitas* eſt Virtus quâ quis ſe talem ὁ λόγῳ ἢ ἐν βίῳ, *verbis faciſque*, exhibet, qualis revera eſt, nihil ſimulans diſſimulánſve. Quorum tamen poſterius tolerabilius eſt & venuſtius, ſi moderatè fiat, ſolóque ſtudio fugiendi τὸ ὄγκηρὸν ἢ τὸ μέγα εἶναι δοκεῖν, hoc eſt, *omnem ſpeciem tumidi & ampulloſi*: Quod ſi fiat immoderatiùs, Arrogantiam ſapit. *Eſt enim & Elatio, & nimiùm affectata Diminutio ſuiipſius, oſtentationis indicium*; ut in *Laconico* veſtitu: quemadmodum notat Philoſophus. *Nicom. Ethic. lib. 4. cap. 13.*

Cæterùm quamvis ſatis elegans ſit illud *Ariſtotelis* bina ſingulis Virtutibus Vitia opponendi ſtudium & affectatio; utilius tamen mihi videtur ſi quis *Veritati* unicum illud Vitium opponeret quo quis alienam induit perſonam ut occultet ſuam, quod ſignificantiſſimo vocabulo *Hypocriſis* dicitur. Quod quidem malum multas in humana vita fruſtrationes parit & mo-

moleſtias, quibus ipſe Hypocrita, pariter atque alii quibus imponit, implicari ſolet.

8. *Candoris* eſt, tam dicta quàm facta in hominum congreſſu quæ ferri poſſunt candidè & benignè excipere : quæ ſecùs, honeſtâ quadam & decenti libertate reprobare vel reprehendere. Huic igitur Virtuti opponitur *Moroſitas*, (quæ δυσκολία dicitur apud *Ariſtotelem*,) & *Blanditia*, quæ, ſi lucrum quæritur, dicitur *Adulatio*.

9. *Urbanitas* eſt, cùm vel ipſi honeſtè jocamur, vel alios honeſtè jocantes lubenter patimur. Qui verò nec jocantur ipſi nec alios concinnè jocantes lubenter audiunt, ſed offenduntur, appellantur ab *Ariſtotele* ἄγριοι καὶ σκληροὶ, *ruſtici & aſperi*. Qui verò præter modum & decorum jocantur, nemini parcentes, *Scurræ*. *Ethic. Nicom. lib. 4. cap. 14.*

10. *Fidelitas* cernitur in reddendo Depoſitum ſtandóque promiſſis, ubi nos Lex ſcripta vi cogere non poteſt.

11. *Verecundia* eſt conſtans & perpetua decori obſervatio. Videtur igitur quaſi flos *Juſtitiæ*, vel quiddam ipsâ *Juſtitiâ* perfectius & delicatius. *Juſtitiæ* enim eſt non violare homines ; *Verecundiæ*, nè offendere quidem. In quo maximè perſpicitur vis decori, inquit *Cicero*. Apud quem *Decorum* etiam optimè definitur, id eſſe quod conſentaneum ſit hominis excellentiæ in eo in quo natura ejus à reliquis animantibus differat. Quibus monemur nihil committere naturâ noſtrâ indignum, nec ad brutorum mores noſmet unquam demittere. *De Offic. lib. 1.*

Verùm præter hoc generale Decorum, sunt etiam specialia quædam cujusque ordini & conditioni propria; ut Principi, Sacerdoti, Viro, Fœminæ, Seni, Juveni, Philosopho, Plebeio, & id genus reliquis. De quibus omnibus statuendum est, quòd cuique agendum est secundùm illum modum qui ipsis ex communi hominum sententia convenit, nè videatur eorum judicium contemnere & exspectationem frustrari. Negligere verò quid de se quisque sentiat, non solùm arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.

Est igitur *Justitiæ* pars debitam adversùs homines adhibere reverentiam, nec in ejusmodi motus gestúsque vel sermones nos pati diffluere quibus adstantium aures vel oculi offendi possint.

12. *Humanitas* est Virtus quâ erga omnes homines benevolè & officiosè afficimur ex præstantiæ humanæ naturæ sensu communíque nostrî omnium cognationis.

Hospitalitas, sive φιλοξενία, est Virtus quâ benevolè & officiosè afficimur erga peregrinos, non solùm quòd homines sunt, sed quòd quibus commodis domi fruantur, jam peregrè profecti destitui possunt.

13. *Comitas* est Virtus quâ quis homines ex communi humanitatis sensu blandè in congressu benignéque alloquitur.

Affabilitas verò, quâ alios ipsum convenientes & alloquentes facilè & benignè excipit.

Officiositas autem, quâ quis promptus est

ad

ad minora quævis officiola ſuperioribus, aut ſaltem paribus, præſens præſentibus præſtanda.

Hæ Virtutes omnes rectè accenſentur *Humanitati*: Cui non ſolùm opponitur *Inhumanitas*, ſed illa nimiæ erga quoſlibet humanitatis affectatæ oſtentatio, quâ quis ſingulos quibuſcum verſatur demereri ſtudet, ſibíque devincire tanquam homini ad omnia erga omnes humanitatis officia præſtanda paratiſſimo, erga ipſos verò præter cæteros, cùm tamen nihil ſolidi ſincerive ſubſit enormi huic obſervantiæ & blandiloquentiæ. Quæ certè *Injuſtitiæ* pars eſt maximè conſpicua, dum in hunc modum per fictos noſtros & imitatos affectus ſincerum alterius amorem ſuffuramur, quo tamen nemo quiſquam theſaurum poſſidet pretioſiorem. Quod igitur crimen quovis furto vel rapinâ non minùs turpe haberi debet.

14. Denique, *Amicitia* vera ex genere Virtutum eſt; quanquam vulgaris illa quæ cernitur ut plurimùm nihil ſit aliud quàm paucorum conſpiratio contra reliquos vicinos, dum alternis dolis falſiſve judiciis vel teſtimoniis, quibus ſpecioſa Officiorum Amicitiæ nomina obtendunt, mutuis inſerviunt commodis, magno ſæpiſſime cum aliorum incommodo. Quæ rurſus putidiſſima pars *Injuſtitiæ* eſt, eóque magis, quantò conjunctior eſt injuria cum Hypocriſi, nec tam læſiſſe vicinum videri volunt, quàm amico profuiſſe. Verâ autem *Amicitiâ* nihil ſanctius eſt, nihil divinius, quæ & ipſa Virtus eſt, & non minùs quàm *Humanitas*

vel

vel *Hoſpitalitas*,) ſolóſque inter eos reperitur qui reliquis Virtutibus omnibus ſunt prædit⁹. Eáque officia complectitur quæ non ſolùm hominibus probis debentur, ſed quæ illis præcipuè quos diuturna converſatio claréque preſpecta probitas, fructuúmque illius perceptio frequentior atque uſus, nobis meritò reddidit cæteris mortalibus chariores.

Optimus autem *Amicitiæ* fructus eſt mutua ad Virtutem ſtimulatio. Qualis olim apud *Pythagoreos* cernebatur, quemadmodum commemorat *Iamblichus*. *Hortabantur enim crebrò ſe invicem, ut non divellerent ſe ab illo qui in ipſis erat Deo. Quamobrem ad incorporationem quaſi quandam & unionem cum Deo & communionem cum Intellectu Divinâque Anima omne ſpectabat eorum amicitiæ ſtudium tam per opera quàm per ſermones.* Quibus ſtatim ſubjicit; *Hoc verò nemo poteſt aliud quicquam invenire melius aut dictum in colloquiis, aut in rationibus vitæ factum. Credo verò quòd & omnia veræ Amicitiæ officia in ſe complectitur.*

Iamblich. *de vita Pythag. c. 33.*

Quibus tamen non multùm abſimile eſt illud *Ariſtotelis*, quo monet præcipuum *Amicitiæ* fructum ac voluptatem in eis conſiſtere quæ ad nos pertinent quatenus homines ſumus, hoc eſt, rationis ſermoniſque participes. *Hic enim Convictus apud homines videatur rectè appellari, (ſermonum ſcilicet rationiſque communicatio,) & non, ut in jumentis, in eodem loco paſci.* Atque hæc breviter de eis Virtutibus quæ ad *Juſtitiam* reducuntur.

Ethic. Nicom. lib. 9. cap. 8.

15. *Magnanimitas* earum prima eſt quæ ad

For-

Fortitudinem revocantur, vel, ſi malles, ad *Tolerantiam*. *Magnanimitas* verò ſatis intelligitur ex *Magnanimi* charactere qui paulò uberiùs apud *Ariſtotelem* deſcribitur. Summa verò in hiſce ferè conſiſtit: *Quòd ſemper quærit magna agere & magnorum gratiâ, eâque unde magnus acquiritur honor.* Hinc eſt quòd μεγαλοκινδυνότερος magis ſit quàm πυκνοκινδυνότερος, *magnis magìs immiſcens ſe periculis quàm crebris*, nec promptus ad agendum, ſed ἀργός τις καὶ μελλητής, *piger quis & procraſtinator*. Neque enim magna temere ſuſcipienda ſunt, ſed magna cum deliberatione & conſilio. Nec multo rerum humanarum ſtudio tenetur, cùm nihil in his magnum ſit magníve æſtimandum. Præ cæteris verò Honorem æſtimat *tanquam maximum humanorum quæ extrà ſunt bonorum*; *utpote quem Divino Numini tribuimus*. Supponitur enim *Magnanimus* perfectâ Virtute præditus, unde ſeipſum, ſi quem alium, honore dignum putat ob Virtutem, Diviniſſimum omnium donum. *Ethic. Nicom. lib. 4. cap. 7, 8.*

Sed nec Honorem magni æſtimat vulgíque opinionem, ſolâ Virtute contentus ſuâ. Unde etiam inſignis evadit Parrheſiaſtes, *Veritatis & officii majorem rationem habens quàm famæ*; ſed & φανερόφιλος καὶ φανερομενῆς, *amicitiam & inimicitiam pectore in aperto gerens*, ut inquit *Ennius*. Quid enim ille latebras quærat aut veritatem detrectet profiteri, qui propriæ Virtutis conſcientiâ fretus, tantíque boni ſenſu ac voluptate abreptus, omnes res humanas contemnit, vitámque mavult perdere quàm vel minimam Virtutis partem?

Hæc

Hæc ſunt ferè *Magnanimi* indicia & notæ apud *Ariſtotelem*. *Magnanimitas* autem rectè ad *Fortitudinem* vel *Tolerantiam* refertur, quoniam magna aggredi non poſſumus ſine labore magno & moleſtia; quíque honores publicáque munera declinant, plerumque id faciunt ut molliùs & otioſiùs vivant.

16. *Lenitas* etiam rectè ad *Fortitudinem Tolerantiámque* revocatur, quòd *Tolerantiæ* pars ſit ferre injurias, magnique animi eaſdem contemnere. Ex utriſque verò vel alterutro naſcitur *Lenitas*, quâ injuriis laceſſiti non facilè iraſcimur, multóque faciliùs à vindicta abſtinemus. Hujus virtutis egregium ſpecimen eſt illud ad quod collineat præclarum illud *Marci Antonini* documentum; *Unum hic vide quàm plurimi æſtimandum, cum veritate & juſtitia benignè verſari inter homines mendaces & injuſtos.* Nihil enim generoſo animo bilem æquè movere poteſt, atque injuſtorum & fraudulentorum hominum mendacia & impoſturæ.

Τῶν εἰς ἑαυτὸν l. 6. ſect. 47.

17. *Generoſitas* à *Magnanimitate* in hoc differt, quòd videatur virtus communior, nec ad magna ſola facinora magnóſque honores reſtringi, ſed in eo ferme conſiſtere, quòd quis libero ſuo arbitrio utatur quàm optimè poteſt, eóque ſolo ſit contentus, de fortuna vulgíque opinione ſecurus tanquam ad ſe parùm pertinentibus; quanquam interim omnes homines humaniter tractat, déque ipſorum ſui arbitrii uſu optimè præſumit, donec conſtiterit contrarium.

18. *Conſtantia* eſt Virtus quâ nobiſmetipſis ubique tam dictis quàm factis conſtamus.

Dili-

Diligentia est Virtus quâ quæ Rectâ Ratione susceepimus incunctanter & diligenter prosequimur.

Εὐψυχία, sive *Vivacitas*, definitur ab *Andronico*, *Firma quædam vividâque animæ aptitudo ad perficienda sua opera.* Andronic. Rhod. *lib.* περὶ παθῶν.

Ἄῤῥημα verò, sive *Animi præsentia*, innuere videtur promptitudinem quandam animæ ad aggrediendum quæ oportet, in eísque perfistendum. Unde parùm videtur differre à *Diligentia.* Ἀῤῥενότης autem, sive *Strenuitas*, apud ipsum est *Habitus sufficientes nos præstans in laboribus Virtutis.*

Ἀνδραγαθία denique, seu *Virilitas*, ab ipso definitur *Virtus viri quâ studiosè se gerit circa publica opera.* Officia verò præcipua illius esse statuit, imperterritos nos reddi circa mortem, circáque pericula audaces, malléque per Virtutem mori quàm per dedecus vivere. Quæ planè *Fortitudinis* partes sunt.

19. Solæ supersunt Virtutes quæ ad *Temperantiam*, vel, si malles, ad *Continentiam*, referuntur: ut *Frugalitas*, quæ est Virtus quâ quis, Temperantiæ susque rebus consulens, parciùs sumptus facit, ità tamen ut citra illiberalitatem sit hæc parsimonia. Ex qua definitione palàm est *Frugalitatem* rectè ad *Temperantiam* referri, quemadmodum *Liberalitas* ad *Justitiam*: Hæc enim ad aliorum, illa ad nostram spectat utilitatem.

20. *Humilitas* est Virtus quâ facilè in nobis supprimimus vel extinguimus omnem inordinatam cupiditatem Honoris, Potentiæ, splendorísque

rísque Divitiarum, ut melioribus rebus animos noſtros adjungamus. Quod eſt, juxta *Marcum* Imperatorem, *In data qualibet occaſione juſtum, prudentem, Deúmque ſimpliciter ſequentem, ſcipſum præbere.*

Τῶν εἰς ἑαυτὸν lib. 12. ſect. 27.

21. Αὐστηρία, ſive *Auſteritas*, definitur ab *Andronico Rhodio Habitus animæ non ſuſtinens voluptatum ſermonúmve turpium commercium.* Huìc affinis eſt *Modeſtia*, ut vulgò ſonat: videtur enim eſſe Virtus animæ quâ vel primas præparationes & præludia ad quamlibet turpitudinem maturè rejicit & averſatur, nè leviſſimam quidem mali ſpeciem ferens.

22. Εὐτέλεια, ſive *Vitiûs facilitas*, videtur ſtrictius quìddam eſſe & contractius ipsâ *Frugalitate*; Λιτότης verò, vel *Tenuitas vitiûs*, ipſi Εὐτελείᾳ, quæ definitur apud *Andronicum Habitus quibuſlibet contentus*; Εὐτέλεια verò, vel *Vitiûs facilitas, Habitus nihil eximii affectans in ſumptibus & apparatibus*; Κοσμιότης autem, i. e. *Geſtûs inculpabilitas, Figuræ motûſque corporis decora diſpoſitio vel ordinatio*; quæ igitur pars Modeſtiæ eſt; Αὐτάρκεια denique, ſive *Animus contentus, Habitus animæ quibus oportet contenta, eâque quæ vitæ conveniunt ex facili definiens.* Quò proinde ſpectabit illud vulgare, *Naturam eſſe paucis contentam.*

Andronic. Rhod. lib. περὶ παθῶν.

23. Atque hæc quàm breviſſimè potui de *Virtutibus Reductitiis.* Neque enim his immorandum duxi, multò minùs in Vitiis enumerandis, quorum natura ſatis intelligitur ex doctrina Virtutum quibus contrariantur.

Quanquam autem de ſingulis Vitiis agere non

non ſtatuimus, quæ tanquam quædam Virtutum extrema cogitantur; tamen operæ pretium fore putavi de *Mediocritate* illa quam *Ariſtoteles* μεσότητα appellat, & in qua Virtutis naturam conſiſtere vulgò contendunt, paulò liberiùs diſceptare. Quod ſubſequenti Capite aggrediemur.

CAP. IX.

De Mediocritate illa in qua Virtus conſiſtit; déque vera hujus Mediocritatis menſura.

1. Quòd Virtus in *Mediocritate* conſiſtit, ſi rectè intelligatur, veritate non caret. Quòd verò quidam Virtutem introducunt ab utroque latere oppoſitis ſtipatam Vitiis, & quaſi Roſam inter duas urticas (quod à noſtratibus proverbialiter dicitur) collocatam, id ſanè perbelli cujuſdam ſpectaculi ſpeciem præ ſe fert, ſed quæ in omnibus Virtutibus locum habere non poteſt.

2. Nam illi *Juſtitiæ* parti quâ quis id ſolum quod ſibi jure debetur aſſumit, πλεονεξία ex altero latere planè opponitur, quod eſt vitium plus ſibi arripiendi quàm juſtum eſt. Quòd ſi quis minus ſibi aſſumit quàm quod illi debetur jure, (quæ μειονεξία dici poteſt,) id certè non videtur vitium eſſe, ſed potiùs ſpecies quædam aut *Generoſitatis*, aut *Modeſtiæ*. Ità in tribuenda

da mercede, ſiquis minorem reddit quàm quæ ex pacto debetur, *Injuſtitiæ* quædam ſpecies eſt, quæ μισοφοδοσία dici poteſt; ut parem reddere, *Juſtitiæ*. Majorem autem reddere, (quam πλεονοφοδοσίαν appellare poteris,) non altera *Injuſtitiæ* ſpecies eſt, ſed potiùs *Liberalitatis*. Ità in rebus emendis vendundíſque Superpondium illud & Mantiſſa quam quidam ſuperinjicere ſolent ut gratiam ineant cum emptoribus, quamvis pondus menſurámque excedant quæ ſanciuntur lege, hujuſmodi tamen πλεονοφοδοσία nihil in ſe habet *Injuſtitiæ*.

3. Præterea *Prudentiæ*, quæ certè moralis Virtus eſt, ſola opponitur *Imprudentia*, quæ *Prudentiæ* eſt defectus. Ità *Sinceritati* unica contrariatur *Inſinceritas*, vel latè ſumpta *Hypocriſis*, quæ à *Sinceritatis* perfectione excidit vel deficit. Porrò *Patientiam*, *Continentiam* & *Tolerantiam* ſolæ, ex uno latere, claudunt *Impatientia*, *Incontinentia*, & *Mollities*: Item *Temperantiam Intemperantia*. Quòd enim quidam alteri lateri adjungunt tanquam oppoſitum vitium ἀναισθησίαν *Inſenſibilitatem* quandam, id contra rationem fit; tum quòd hujuſmodi ἀναισθησία vix cadit in humanam naturam, (quem admodum ex mente *Ariſtotelis* rectè docet illius Paraphraſtes, *Eſt enim ferme extra humanam naturam hujuſmodi Inſenſibilitas*;) tum etiam quòd ſi in eam caderet, non tam Animæ vitium eſſet hæc ἀναισθησία quàm morbus Corporis.

Andronic. Rhod. *l.* 3. *cap.* 12.

Quòd ſi vis & dominium Animæ eouſque augeri poſſet, ut, quoties vellet, cujuſvis doloris & voluptatis corporeæ ſenſum prorſus ſuppri-

mere

mere & extinguere valeret; id certè nullum Animæ vitium esset, sed mira quædam virtus ac perfectio. Abuti autem hâc Animæ perfectione, *Insinceritatis* esset aut *Imprudentiæ*: imò, si quis magnopere contendat *intemperatæ* cujusdam *Temperantiæ* speciem fore, non multùm abnuo.

4. Videtur sanè *Fortitudo* satis commodè collocari inter *Audaciam* & *Timiditatem*; *Liberalitas* inter *Illiberalitatem* & *Prodigalitatem*; *Veritas* inter *Arrogantiam* & *Dissimulationem*: neque inficias eo quin simile quiddam contingere possit in aliis quibusdam Virtutibus. Interea tamen maximopere est notandum, quòd nec ex hisce ipsis eluceat quòd Virtus sit secundùm intimam suam essentiam μεσότης sive *Mediocritas*, sed potiùs (quemadmodum eam definivimus) *Vis quædam intellectualis* quæ est causa illius Mediocritatis quam tenemus tam in actionibus nostris quàm passionibus. In ipsis enim est illa Mediocritas. Virtus verò ipsa major justo esse non potest.

5. Imò verò non solùm κατὰ τὸ ἄριστον καὶ τὸ εὖ *secundùm suum bene & optimum* Virtus ἀκρότης est sive *Extremitas*, prout ipse *Aristoteles* agnoscit, *sed secundùm essentiam & definitionem.* Nam secundùm ipsam essentiam *Mediocritas* esse non potest, cùm illa (ut modo monui) sit in objectis circa quæ versatur, nempe *in actionibus & passionibus.* Cùm verò secundùm suam naturam optimum sit eorum omnium quæ humano generi competunt, & præstantissima animæ nostræ vis & perfectio, rectiùs definiri non

Ethic. Nicom. lib. 2. cap. 6.

 potest

poteſt quàm ſi quis eam dicat τὴν ἀνθρωπίνης φύσεως ἀκρότητα, *Humanæ naturæ ſummitatem, ſummúmve Bonum.* Nam ad eſſentiam Virtutis hoc attinet, ut hujuſmodi ſit.

Videtur igitur temere dictum ab *Ariſtotele*, quòd *ſecundùm ſuum bene & optimum* Virtus ſit *Extremitas*, ſed non ſecundùm eſſentiam; cùm illud *Optimum* ſit de ipſa Virtutis eſſentia, utpote quæ naturæ noſtræ ſumma eſt perfectio, quemadmodum paſſim inculcant *Pythagorei.*

6. Tutiùs igitur rectiúſque loquitur, ubi ait Virtutis eſſe τὸ μέσον εὑρίσκειν καὶ αἱρεῖσθαι, *Medium invenire & eligere*, quàm ubi innuit ipſam Virtutem *Medium eſſe vel Mediocritatem.* Perinde enim eſt ac ſi quis diceret ipſum *Meſolabium* eſſe duarum illa Media continuè proportionalia quæ ipſius ope inveniuntur; aut *Circinum* eſſe Centrum mediúmve Circuli, quia hoc inſtrumento Centrum invenitur, primóve defigitur. *Ethic. Nicom. lib. 2. cap. 9.*

7. Poſtremò, quando dicunt Virtutem *medium* eſſe, intelligunt duorum huic medio homogeneorum. Ità enim rem illuſtrat *Ariſtoteles* à proportione Arithmetica tam in magnitudinibus quàm in numeris; quanquam illi inveniſſe videtur potiùs τὸ μέσον τῷ πράγματι quàm τὸ πρὸς ἡμᾶς, *Medium rei* quàm *medium quoad nos.* Sed quòd ὁμογένειαν hanc aliqualiter affectant, ex eo videre eſt, quòd dum Virtutem *medium* quoddam eſſe volunt, ipſam de extremis participare innuunt. Quod planè facit *Andronicus*, lib. 3. cap. 7. ubi dicit Virtutem *Mediocritatem eſſe duorum Vitiorum, ab hoc quidem deficientem, illud verò ſuperantem.* Ut in *Fortitudine*

udine, quæ *Confidentia* est in certo quodam gradu. Quòd si *Confidentia* ut tria Virtus esset, cùm Virtus sit quiddam absolutè bonum, *Confidentia* ut sex duplò melior esset, ac proinde Vitium Virtute melius.

Virtus igitur non est ipsum medium, sed medii inventrix atque electrix. Nec ipsum medium in intensione vel extensione solummodo cernitur, sed & aliis circumstantiis determinatur. *Nam quando oportet, & super quibus, & erga quos, & cujus gratiâ, & quomodo oportet, est medium illud atque optimum quod est in Virtute,* inquit *Aristoteles.* Unde superfluum videtur planéque superstitiosum hanc metaphoram in singulis sectari. *Ethic. Nicom. lib. 2. cap. 6.*

8. Satis est si *Rectum* sit quod quærit & exigit Virtus. Quanquam & hoc *Rectum*, quod Græcè ὀρθὸν dicitur, iterum medium quiddam videtur; ut linea illa quæ erigitur super aliam rectam καθ' ὀρθὰς una pariter est & media omnium quæ ab eodem puncto duci possunt, & æqualiter ab ea declinant. Unde illud *Pythagoreorum*, *Uniforme Bonum est, Malum verò multiforme:* rectéque *Andronicus* Rectum hoc, quod κατὰ κατόρθωμα vocat, ἁπλοῦν τι καὶ μονοειδὲς, *simplex quiddam & uniforme*, indigitat. *Magn. Moral. lib. 1. cap. 25. & Nicom. l. 2. cap. 5.*

9. Sed & hoc *Rectum* quod in singulis quærit Virtus τὸ ἴσον *æquale* etiam dicitur; καὶ τὸ δίκαιον, καὶ τὸ ἁρμόζον, *& quod par est & congruum*, quod est rursus τὸ ἴσον. Τὰ γὰρ ἁρμόζοντα ἴσα εἶναι, *Nam quæ congrua sunt, sunt æqualia*, ut satis nôrunt Geometræ. Hæc autem omnia iterum *Mediocritatem* innuunt. Nam quod aut minus aut ma- Andronic. Rhod. *l. 5. cap. 4.*

jus est altero, non congruit. *Medium* igitur esse oportet quod nec majus nec minus est, quod appellatur etiam *æquale*.

Dicatur igitur tandem Virtus in *Mediocritate* consistere, non quòd ipsa sit medium quoddam, sed quòd anima nostra per ipsam id quod medium sive congruum est eligat. Sola enim illa sententia videtur vera ac solida.

10. Maxima verò difficultas videtur, statuere quid illud tandem sit cui congruere debet hoc ipsum quod ubique quærit Virtus *Rectum* vel *Congruum*. Illud demum *Rectum* est, inquit *Aristoteles*, quod Rationi rectæ est congruum; vel, quod idem est, *Id utique revera Medium est quod recta Ratio enunciat*, sic enim ille loquitur. Et in ipsa Virtutis definitione ubi eam in *Mediocritate* consistere dicit, *Mediocritatem* seu μεσότητα indigitat ὡρισμένην λόγῳ, *definitam ratione*. Cui statim hanc subdit ἐξήγησιν, *& quemadmodum vir prudens determinaverit*: nè quis porrò quærat qualis aut quæ sit hæc recta Ratio quâ quicquid rectum est vel congruum definiatur.

Ethic. Nicom. lib. 6. cap. 1.

Ethic. Nicom. lib. 2. cap. 6.

Recta igitur Ratio est quæ est secundùm Prudentiam, quemadmodum suprà etiam monet ex *Aristotele*: Apud quem tamen ipsa *Prudentia* definitur, *Habitus cum ratione verus exercens circa ea quæ homini bona sunt vel mala*. Qui sane videtur Circulus quidam nugatorius, definiens hoc modo rectam Rationem per Prudentiam & Prudentiam rursus per rectam Rationem.

Ethic. Nicom. lib. 6. cap. 5.

11. Sed si recurramus ad eam quam nec suprà tradidimus *Prudentiæ* definitionem, nul-

la poteſt eſſe aptior ſolutio. Nam ex illa definitione intelligitur quòd qui revera *Prudens* eſt purgato animo eſt & defæcato, & quòd Veritatis lumen per nullas Paſſionum tenebras aliáve corporis impedimenta ipſi intercipitur. Unde nemo mirari debet quòd illa *Ratio recta* dicatur quæ eſt *ſecundùm Prudentiam*, cùm aut prudens aut nullus eâ imbui poſſit quatenus vitam ſpectat atque mores. Cui itidem ſuffragari videtur Philoſophus in Ethicis ad *Nicomachum* lib. 3. cap. 4. *Vir probus*, inquit ille, *rectè judicat ſingula, & in ſingulis ipſi verum apparet. Nam ſecundùm unumquemque habitum propria ſunt bona & jucunda. Multóque præſtat fortaſſe vir probus veritatem videndo in ſingulis, tanquam ipſe eorum exſiſtens norma ac menſura. Plebeiis verò Error videtur propter voluptatem contingere, utpote quæ, cùm non ſit, apparet tamen illis bonum.*

Quò etiam collineare videntur alia quædam quæ apud ipſum reperiuntur. Qualis eſt illa σωφροσύνης Notatio, quam ità appellari dicit quaſi σώζουσαν τὴν φρόνησιν, *quòd ſartam tectam conſervet prudentiam*: quo innuere videtur *Temperantes* ſolos rectè ſapere in eis quæ ad vitæ probitatem ſpectant. *Neque enim omnem opinionem corrumpit & pervertit voluptas & dolor, (ut quòd triangulum angulos habet duobus rectis æquales,) ſed eas ſolummodo quæ ad vitam ſpectant atque mores.* Ità enim occæcat mentem *voluptatis doloríſque ſenſus*, ut principii videndi facultas ipſis eripiatur qui hujuſmodi paſſionibus tenentur, quemadmodum paulò pòſt adhuc planiùs enunciat: Ἔστι γὰρ ἡ κακία φθαρτικὴ ἀρχῆς, *Vitium enim* Ethic. Nicom. lib. 6. cap. 5.

illud ipsum principium extinguit quo rectè de rebus judicare valemus.

12. Quæ quidem *Aristotelis* sententia omni laude excipienda est, ut quæ multiplicem in se continet veritatem, eámque valde utilem. Ex hac enim planè efficitur, Primò, quòd animus noster vitiis passionibúsque purgatus & vacuus ità comparatus est, ut immediatè suâque sponte discernere possit quid in rebus humanis pulchrum honestúmque est, & quid secús.

Deinde, quòd sunt quædam suâ naturâ honesta & pulchra. Mira enim illa esset animi purgati perspicacitas si ea cerneret quæ non sunt. Quod tamen accideret, si nihil esset suâ naturâ pulchrum vel honestum.

Tertiò denique, quòd magnæ esset temeritatis & dementiæ, quamdiu purgandis animis nullam operam navamus, tempus conterere in disceptationibus an sit quicquam suâ naturâ honestum : Nihil autem suâ naturâ honestum esse concludere, dum interim fœdè turpitérque vivimus, impudentiæ prorsus intolerandæ. Experiri enim oportet priùs quàm sententiam ferre. Sed suprà hæc attigimus, ac proinde nihil necesse est ut eis hîc diutiùs immoremur.

13. Unicum supereſt quo præsenti difficultati plenè & perfectè satisfaciamus. Nam videmur prudentem nostrum Inspirationibus & Enthusiasmis totum commisisse, dum ex eo solo quòd purgato sit animo eum sapere contendimus; quasi quicquid post hanc purgationem ipsi occurrit continuò rectum esset ex

eo

eo ſolo quòd ipſi occurrit, ipſáque recta Ratio, vel ſecundùm rectam Rationem, haberi deberet, nullâque alia eſſet menſura vel Principium cui congruere debet omne illud quod rectum dici meretur.

Neceſſe igitur eſt ut porrò quæramus *quæ tandem Norma ſit ac Modus hujus rectæ Rationis, & quodnam illud congruum rerum agundarum Principium*, ut loquitur *Andronicus Rhodius*. Nam ſola illa Ratio recta eſt quæ huic Regulæ, Modo, vel Principio congruit: Quod primum quoddam eſt ſimpliciſſimúmque Bonum, addo & præſtantiſſimum, normáque & menſura reliquorum.

14. Cœlum igitur Terrámque teſtor, latúmque ac profundum Mare, nullum in omni Natura Bonum majus reperiri poſſe quàm *Amorem* illum quem nos, ut nullum cum ulla libidinoſa ſpurcitie commercium habere ſatis intelligatur, ſemper appellamus *Intellectualem*. Nihil illo ſanctius aut divinius, nihil ſuavius aut jucundius, nihil quod majorem in modum animam noſtram implet, irradiat, exhilarat, nihil quod nos ad diſpiciendum quid in unaquaque re æquum & decorum ſit oculatiores efficit, vel ad proſequendum quod honeſtum eſt promptiores. Cùm igitur hoc perfectiſſimum ſimpliciſſimúmque bonum ſit, Norma meritò habenda eſt & menſura reliquorum; nullámque Rationem rectam eſſe poſſe ſtatuendum eſt quæ ex diviniſſimo hoc fonte ac principio non derivatur.

15. Eſt autem hic, quem indigitamus, *Intellectualis Amor* nihil aliud niſi intima quædam

dam vita ac sensibilitas in *Boniformi Animæ facultate* excitata, quâ illud quod simpliciter optimum est sapit, eo gestit, eo triumphat, eóque solo oblectatur. Unde Deum super omnia amat, atque amplectitur tanquam summum perfectissimúmque Bonum, tanquam summam perfectissimámque Rationem & Pulchritudinem, tanquam summum perfectissimúmque Amorem per quem omnia facta sunt & subsistunt; totámque Creationem, prout unumquodque Divinæ perfectionis particeps est, colit ac diligit, & pro ratione defectuum vel infortuniorum in quæ incidere possunt, miseretur & sublevat, quantúmque in se est in eum felicitatis statum ad quem à Natura Deóque destinari videntur restituere conatur. Denique, omnes intendit nervos ut bonis bene sit, malíque quàm efficacissimè fieri potest curâ & disciplinâ boni evadant.

16. Est igitur hic simplicissimus divinissimúsque in *Boniformi animæ facultate* sensus illa Norma vel Mensura quâ ipsa Ratio examinatur & probatur. Si quid enim illa statuit contra hunc sensum, iniquum est & inhonestum: si quid huic sensui consonum & congruum, id demum licitum est & decorum. Adeò ut nihil sit necesse unam aliquam *externam* Ideam Boni somniare, alióve somniantes imitari & sequi, cùm intima hæc vita atque sensus sit pro illa Idea, quæ non externo aliquo animæ obtutu suspicienda est, sed intus in *Boniformi facultate* sentienda percipiendáque. Quæ cùm una sit atque simplex, ex hac tamen oriuntur omnes virtutum rectèque factorum modi,

modi, in eámque certissimâ analysi iterum resolvuntur. Quemadmodum omnes numeri oriuntur ab unitate, & à sola unitate omnes mensurantur: ità, inquam, *Amore* hoc *Intellectuali*, tanquam Principio omnium simplicissimo maximéque uno, omnes *Justitiæ*, *Fortitudinis*, ipsiúsque adeò *Temperantiæ*, modi speciésque mensurantur. Nihil enim hunc Amorem extinguit magis quàm voluptatis sensus ac libido.

17. Postremò, nè quis nobis vitio vertat quasi lubrico cuidam ac fluctuanti Fundamento pulcherrimam Virtutum fabricam superstruere velimus, Passioni scilicet, qualem Amorem hunc esse quidam fingere possint; intelligant illi boni viri non magis Passionem esse hunc Amorem quàm ipsa est Intellectio, quâ tamen isti nihil habent antiquius aut divinius. Omnis enim Intellectio passio quædam est quatenus est perceptio, ut rectè monet *Carteſius*. Quemadmodum autem perceptio hæc quæ in intellectione est non est à corpore, sed ab ipsa Anima seipsam in hunc actum excitante; ità nec hic Amor à corpore est, sed ab Anima ipsa, vel ab ipso eam in hanc diviniſſimam ἐνέργειαν rapiente & excitante Deo. Cujus perceptio quamvis passio quodammodo appellari possit, nihilo tamen magis illius excellentiæ derogat ac divinitati, quàm ipsius intellectionis, quæ cùm perceptio sit pari jure passio appellanda est.

18. Præterea, non tam Passio fortassis dicendus est hic Amor quàm perfecta quædam animi tranquillitas & serenitas, quam nulli motus

tus comitantur nisi benigni beneficíque; adeò ut ipse nihil aliud videri possit quàm firma quædam & constans benignitas vel bonitas, quâ nihil potest esse perfectius aut divinius, aut quod ad Deorum immortalium, id est, beatorum Spirituum, vitam statúmque propiùs accedit. Absque hac enim non Dii essent, sed mali statim evaderent Dæmones. Unde manifestò constat hunc Amorem omnium rerum esse perfectissimam divinissimámque, ipsâque Intellectione præstantiorem, rectiúsque de hoc intelligenda esse verba illa *Aristotelis* excelsa ac magnifica quàm de Intellectu speculativo; *Neque verò oportet, juxta istos monitores, humana sapere, cùm homines simus, neque mortalia, cùm simus mortales; sed, quantum fieri potest, Deorum immortalium vitam affectare, & omnia facere quò vivamus secundùm illud quod in nobis est præstantissimum.* Quibus statim subdit *Andronicus Rhodius*, juxta mentem *Aristotelis*, *Præstantissimum verò eorum quæ in nobis sunt est Intellectus*: Ego verò, è contrà, *Amor intellectualis*. Sed in hisce forsan diutiùs quàm par erat immorati sumus.

Ethic. Nicom. lib. 10. cap. 7.

Lib. 10. cap. 9.

De Virtute igitur déque ejus speciebus, & quomodo ea dicatur in *Mediocritate* consistere, quæque hujus *Mediocritatis* norma sit & mensura, hæc dicta sunto. Ad *Externa Bona* tandem progredimur.

CAP.

CAP. X.

De Bonis Externis.

1. *Bona Externa* voco non ea ſola quæ extra hominem ſita ſunt, ſed ea omnino omnia quæ extra Virtutem, hoc eſt, ſine quibus Virtutis perfectio conſiſtere poteſt, quantumvis ornamenta quædam illius eſſe poſſint, aut neceſſaria Beatitudinis complementa. Unde ad tria genera rectè revocantur, reſpectu *Animæ*, *Corporis*, & *Suppoſiti*.

Singulorum ſpecies aliquot enumerabimus, quantúmque vel quàm parùm unaquæque facit ad Beatitudinem breviter notabimus.

2. Ad *Animum* referuntur *Ingenii ſubtilitas & dexteritas*, *Memoriæ fidelitas & comprehenſio*; item *Scientia*, *Ars*, & *Sapientia*. Ad *Corpus* verò, *Robur*, *Agilitas*, *Pulchritudo*, *Sanitas*. Ad *Suppoſitum*, *Divitiæ*, *Libertas*, *Nobilitas*, *Principatus*, *Amicitiæ* denique *hominum* atque *Favor*. De quibus omnibus ſummatim dicendum eſt, quòd bona ſunt, magíſque expetenda quàm quæ ipſis ſunt contraria; pleraque tamen eorum tam minuta eſſe bona, ut ipſorum abſentiâ nihil quicquam lædatur Beatitudinis integritas & perfectio, non magis quàm terræ Rotunditas montium protuberantiâ aut cavitate vallium, quæ, ſi conferantur cum terræ magnitudine, nullius habentur rationis. Sic iſtiuſmodi bonorum præſentia nihil ferè addit, nec detrahit

hit quicquam ipſorum abſentia, Beatitudinis perfectioni; quandoquidem cum Virtutis perfectione comparata nullam ad eam proportionem habere planè deprehenduntur.

3. Quid enim magni addit homini *Subtilitas ingenii*, quando Prudentia adeſt, firmáque animi conſtantia, & humani generis amor, propenſáque omnibus benefaciendi voluntas? Quo genere argumenti animosè & ſolidè ſe conſolatur *Marcus Antoninus*, poſtquam ingenio paulò tardiori ſe præditum animadverterat, lib. 7. Τῶν εἰς ἑαυτὸν §. 67. Ubi aſſerit *Beatam vitam in paucis conſiſtere*; & quamvis quis non ſit Dialecticus vel Phyſicus, quòd tamen eſſe poſſit *liber, verecundus, Boni publici amans, & obediens Deo.* Deeſſe autem homini quicquam cenſere ad ſolidam Beatitudinem ex eo quòd egregia hæc *ingenii ſubtilitas & dexteritas* non adſit, perinde eſt ac ſi quis progreſſivâ facultate quenquam haud ſatis inſtructum exiſtimaret, propterea quòd Funambulus nondum evaſerit vel Petauriſta.

4. Nec magis opus eſt viro probo tam fideli omniáque ferè retinenti *Memoriâ*. Nam τὰ καλὰ καὶ θεῖα quæ vocat *Ariſtoteles*, *pulchra illa ac Divina* in quibus Beatitudo conſiſtit, pauca ſunt, (ut modò monebat etiam *Antoninus*,) vel potiùs unum quiddam, quo, veluti oculo colores, omnia honeſtorum & turpium diſcrimina clarè diſcernuntur; adeò ut nuſquam verius ſit illud *Platonis*, *quòd Veritas exiguo continetur ſpatio.* Neque enim ex præceptorum multitudine *memoriæ* inſculptorum, ſed ex intima quadam vita ſimpliciſſimóque ſenſu agere ſolet

vir

vir probus perfectâque Virtute præditus. Nam uno illo omnes Officiorum differentias, ut simplici lumine omnes Objectorum varietates, facilè distinguit. Ex illo enim uno omnis Officiorum varietas oritur, ut colores Iridis ex lumine Solis.

Et quod ad exteriora attinet, & quæ in diviniſſimum hunc ſenſum reſolvi non poſſunt, ſatis eſt ſiquis hîc illâ ſenili ſolummodo polleat memoriâ, quâ quæ ipſi cordi ſunt rectè meminiſſe valeat, reliquis abſque ullo magno damno memoriâ illius elabentibus.

5. Nec certè *Scientia* multùm requiritur ad Beatitudinem, neque *Ars*, nec *Sapientia*. Quamvis enim *Scientia* ſit τῶν ἀναγκαίων καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἐχόντων, *eorum quæ neceſſaria ſunt, quæque eodem modo ſemper ſe habent*, definiente *Ariſtotele*; Beatitudo tamen noſtra in iſtis immutabilibus non conſiſtit, ſed in ipſa animi conſtantia, certóque & immutabili propoſito proſequendi in ſingulis noſtris actionibus illud quod ſimpliciter & abſolutè optimum eſt. Ac proinde rectè intra ſecundum Septum à *Cebete* coercentur, nec ad *Domicilium Salutis* admittuntur in miranda illa Tabula, vel Dialectici, vel Arithmetici, vel Geometræ, vel Phyſiologi, nec Aſtrologi denique, nec Poëtæ, nec Oratores, nec Muſici, ſed, tanquam infames inutiléſque Fidicines, omnes ſimul excluduntur foras. Andronic. Rhod. *lib. 6. cap. 8.*

6. Simplicius quiddam eſt & communius Bonum Beatitudo illa quæ humanæ debetur Naturæ, quàm ut ſolis Philoſophis vel ſolis Opifi-

Opificibus competat. Unde nec *Scientia*, nec *Ars* illa quam *Aristoteles* definit ἕξιν μετὰ λόγου ποιητικὴν, *Habitum cum ratione fabricativum*, (ac proinde ad Opifices spectat,) partes Beatitudinis habendæ sunt.

Ethic. Eudem. lib. 5. cap. 4.

7. Multò verò minùs *Sapientia*, cujus Objecta sunt *singularia quædam & stupenda difficiliâque, ac Dæmonia*, qualia meditati olim dicuntur *Anaxagoras* & *Thales*; quæ *Aristoteles* apertè expositéque vocat ἄχρηστα, id est, *inutilia*, quasi nihil ad humanam felicitatem facientia. Quo autem sensu *dæmonia* appellat, intelligere est ex illis quæ paulò suprà ab ipso dicta sunt, ubi definit *Sapientiam Scientiam & intelligentiam eorum quæ naturâ maximè excellunt.* Quæ Conclusio continuò infertur ex proximè antecedentibus: *Sunt enim alia multò hominibus naturâ Diviniora, ut illustrissima illa maximéque conspicua ex quibus Mundus constituitur.* Eadem igitur sunt illa *dæmonia* quæ *excellentissima hæc & Diviniora homine*, quæque dicuntur Objecta Sapientiæ. Quorum tamen scientia tantum abest ut sit necessaria ad Beatitudinem, ut nè utilis quidem habeatur ab *Aristotele.*

Ethic. Nicom. lib. 6. cap. 7.

8. Quanquam verò perfecta Beatitudo, quæ in sola voluptate illa consistit quæ ex sensu Virtutis rectéque factorum conscientia percipitur, *Scientiâ*, *Arte* & *Sapientiâ* carere potest; *Intelligentia* tamen illa quam *Andronicus* definit γνῶσιν τῶν ἀρχῶν, *Principiorum notitiam*, ipsi potest nullo modo deesse. Impossibile enim est ut animus purgatus verâque imbutus prudentiâ adeò hebes sit ac stupidus ut de primis

Lib. 6. cap. 7.

mis Scientiarum Principiis uſpiam dubitet.

9. Quod ad *Corporis* bona attinet: *Robur* ſanè & *Agilitas* Taurorum & Sciurorum felicitas eſt potiùs quàm Hominum. Adde quòd robuſtior corporis habitus ineptior eſt ad Virtutem, rerúmque optimarum ſenſum ſæpenumerò extinguit ſuffocátque. Nec magis exſpectandum eſt ut omnes qui beati ſunt robuſti ſint atque agiles, quàm ut Curſores ſtatim fiant atque Pugiles.

10. Equidem concinna res eſt *Pulchritudo*, magnámque vim habet ad movendos hominum animos, & ad conciliandam benevolentiam, addítque vel ipſi Virtuti venuſtatem quandam atque gratiam, juxta illud Poëtæ,

Gratior eſt pulchro veniens de corpore virtus.

Parùm tamen habet momenti ad ſolidam Beatitudinem, videtúrque potiùs alienum bonum quàm noſtrum, & quo, ſine ſpeculi ope, nunquam frui poſſumus; cùm internâ animi noſtri Pulchritudine perpetuò nos oblectare valeamus abſque omni externo adminiculo.

11. Maximum bonorum eſt corporis *Sanitas*, quæ certè neceſſaria videtur ad perfectam Beatitudinem, aut ſaltem illius pars tanta quæ ab omni immani cruciatu nos incolumes ſervàre poſſit, ſpiritúſque ab omni inordinato motu & ſtupore liberare. Quicquid enim operationem animi vel extinguit, vel neceſſariò avocat ad deteriora, i bíque diutiùs detinet, ut Beatitudinem noſtram itidem tollat multúmve diminuat neceſſe eſt.

12. Inter

12. Inter *bona Suppoſiti Libertáſ*ne præſtet an *Divitiæ* dubium meritò videri poteſt. Ego tamen ſemper exiſtimavi *Divitias* poſtponendas *Libertati*, præſertim cùm Divitiæ affluentiam quandam innuant, quâ vir probus citra omnem moleſtiam carere poteſt. Unde neceſſe eſt ut ipſi major ſit Libertatis jactura quàm Divitiarum, modò neceſſaria ſuppetant unde vivat; quódque clementiùs laturus ſit ſi ableganda vel amittenda ſint quæ ad beatam vitam ſunt ſuperflua, quàm ſi ad illius nutum eſſet vivendum cui tamen parere ſemper non poſſet ſine aliquo Virtutis detrimento, cùm in hac ſumma ferè humanæ felicitatis conſiſtat.

Nec *Inopia* igitur nec ipſa *Servitus* admodum metuendæ ſunt, modò coerceantur intra eos limites ut mentem non impediant in Virtutis operationibus, nec intercipiant aut extinguant perceptionem illius voluptatis quam diviniores illi ſenſus animæ & cogitationes ipſi afferunt, quibus ſe Deo totam ſubmittit, tacito interim ac interno perfuſa gaudio ex conſcientia tam amabilis ac decori affectûs erga Divinam Providentiam.

13. Quòd *Nobilitas* non ſit neceſſaria ad Beatitudinem, ex ipſa Nobilitatis natura liquet, cùm ſit umbra tantùm Virtutis majorum in poſteros projecta: Quæ certè ſi quid ſit, quantò major, imò verò quàm immenſa, res eſt ipſa Virtus, cujus vel umbra tantam ſpargit gloriam in tot permanentem ſecula, tótque hominum ſucceſſiones & propagines radiis ſuis deaurantem? Ubi igitur ipſa Virtus adeſt, cujus vel leviſſimæ

leviſſimæ quævis exuviæ tantum valent, quantam ἀνδρειαν, quàm ex ſe ſolidam felicitatem præſtabit illa præſens poſſeſſori, non magis indigens nobilitate quàm Sol lunari lumine quod ab ipſo Luna mutuatur?

Parùm igitur ad Beatitudinem facit nuda *Nobilitas*, quam Græci ἐυγένειαν vocant. Quòd ſi Virtus etiam majorum in poſteros reipſa derivetur, quæ γνησιότης eſt, parem habet, vel potiùs majorem, vim ad humanam felicitatem quàm Virtus nobilitate deſtituta.

14. Quòd ſi *Nobilitas* non eſt ad beatam vitam neceſſaria, multò minùs ſunt *Imperia* & *Principatus*. Nemo enim dixerit ſolos Principes & Magiſtratus beatos eſſe, cùm tam pauci ſint numero præ reliquis mortalibus, cúmque tam multis rodantur curis, támque infinitis ſubindè periculis circumvallentur.

15. Denique, quod *Amicitiam* attinet, Multum ſanè dulcedinis & ſecuritatis humanæ vitæ afferunt *Amicitiæ* hominum atque favor. Quibus quidem Virtus deſtitui non poteſt, præſertim ſi perfecta eam comitetur Simplicitas, morúmque quædam ſuavitas & benignitas. Præterea, omnes probi amici ſunt ſibi invicem, &, Virtutis notâ, tanquam quodam ἀναγνωρίσματι, ſuam affinitatem continuò agnoſcunt & neceſſitudinem; ac proinde quaſi quodam Conſanguinitatis jure devincti facilè ſibi mutuò opitulantur.

Quòd ſi cum ſolis improbis rem habere contingat, Virtutis Patronæ ſunt ipſæ Leges. Nam eódem collineant Jura Politica quò ipſa Philoſophia

Lib. 1. cap. 2. losophia Moralis, ut rectè monet *Aristoteles*. *Idemque bonum quæritur & à singulari homine & à Civitate*; quemadmodum scitè subinfert illius Interpres *Andronicus Rhodius*. Exiguum igitur deerit viro probo vel ad solidissimam felicitatem, si quæ jure saltem naturali illi debentur rite persolvantur. Nec celebratissimum illud exemplum in *Damone* & *Pythia* tam ad *Amicitiam* referendum videtur quàm ad *Justitiam* atque *Æquitatem*.

Virtus igitur, præsertim inter probos vel in Republica bene instituta, non majori videtur hominum favore indigere quàm ipsa potest propriis viribus sibi conciliare.

16. Cæterùm, ut nihil dissimulem, iniquitas ipsis aliquando intexitur Legibus, eis præsertim quæ ad Religiones spectant; & ipsius Veritatis ac Virtutis causâ non rarò in odia hominum atque offensiones incidimus; quandoquidem vitiosi animi non minùs Virtutis ac Veritatis læduntur aspectu, quàm lippientes oculi admotæ lucis: Quemadmodum cum magno suo malo expertus est olim *Socrates*, & innumeri alii, tum Christiani tum Judæi.

Quo casu cum pauciissimis versari eisque probatæ integritatis consultissimum est. Quòd si hujusmodi fidi sodales non suppetant, in solitudinem se subducere proximum est, quâ tamen nemo gaudere potest, juxta *Aristotelem*, qui non *Politic. lib. 1. cap. 2.* sit ἢ θηρίον ἢ θεὸς, *aut Fera aut Deus*. Vir autem probus vel in hoc statu non desinit esse latus beatúsque, ut qui, tametsi Deus non sit, Divinum tamen quiddam secum circumgestat, cu-

jus

jus ſenſu dum fruitur, nihil illi deeſt vel ad ſummam Felicitatem.

17. Quòd ſi hîc non ſubſiſtant malevoli, ſed couſque ingruat tempeſtas ut etiam hâc quiete ac ſolitudine per invidiam exturbetur, certè hoc loco non tam amicitiâ opus eſt, quæ eſt inter pares, quàm magnis ac potentibus fautoribus & patronis, qui invidiæ ictus deflectere poſſint, & venenatos illius aculeos obtundere. Quibus ſi deſtituatur, Deo fretus bonâque conſcientiâ ad arma ſe tandem conferat; *Patientiam* intelligo, *Fortitudinem* & *Magnanimitatem*; recolátque ſubindè apud ſeipſum illud *Epicteti*, *Nunc eſt certamen, jámque adſunt Olympia*; citiúſque fortunis omnibus vitâque ipsâ ſpoliari ſe ſinat quàm victoriâ privari. *Enchirid. cap. 75.*

18. Cæterùm ſi quis hîc porrò interroget quo tandem ſtatu habendus ſit vir probus, quantúmque ſuâ felicitate excidiſſe videatur, omni amicorum ope Potentúmque patrocinio ad hunc modum deſtitutus; meminiſſe eum oportet hanc quæſtionem non tam opportunè fieri de amicorum inopia, quàm generatim de conflictu cum Infortuniis prorſus *Priamicis*, ſummiſque quæ in hominem cadere ſolent calamitatibus. Qua de re nemo rectiùs definire quicquam poteſt quàm ipſe *Ariſtoteles*, interpretante *Rhodio*. *Infortunia verò premunt quidem Beatum & labefactant, multiſque impediunt operationibus; tranſfulget tamen per hæc omnia Virtutis ſplendor; quandoquidem æquo quis animo magnas feri calamitates non prop-* Andronico Rhod. *l.* 1. *cap.* 17.

ter indolentiam & ſtupiditatem, ſed quòd generoſus ſit atque magnanimus. Nam ſi Beatitudo ſuam habeat eſſentiam in Virtutis operationibus, ipſæque vitæ viri beati ſint Dominæ, nullus beatus poteſt fieri miſer; nunquam enim committet odioſa & turpia. Et aliquantò pòſt; *Non ſemper res proſperas quæret Beatus juxtáque ſuam voluntatem fluentes, ſed ex præſenti fortuna id faciet quod optimum eſt. Et propter hoc nunquam miſer eſſe poteſt, ſed quod Fortunam ſpecta tantùm non beatus, etiamſi in* Priamicas *incidere miſerias.* Ipſe verò *Ariſtoteles* paulò ſuppreſſius & humiliùs; *Haud tamen beatus dici poterit, ſi in* Priamicas *calamitates inciderit:* quamvis eum nec in iſto ſtatu concedat eſſe miſerum.

Ethic. Nicom. lib. 1. cap. 10.

19. Quanquam verò moderatior hæc *Ariſtotelis* ſententia locum habere poteſt in eis calamitatibus quæ fortè fortunâ nobis obvenire videntur; in eis tamen quæ ab hominibus improbis ob amorem Virtutis nobis infliguntur, alia prorſus eſt ratio. Nam ſi quis in maximis ſibi inflictis miſeriis Deum Virtutémque non deſerat, nec ab ipſis deſeratur; tantum abeſt ut ipſe conflictus Beatitudinem minuat, ut eam è contrà augere potiùs exiſtimari poſſit, & ad altiorem gradum evehere, dum Virtutis operationes, in quibus ipſa Beatitudinis eſſentia conſiſtit, majorem in modum accendit atque elevat. Neceſſe eſt enim, perquam decoros ac generoſos animi motus, planéque divinos tam invictam Tolerantiam comitari. Nec tam ex inani quadam jactantia faſtúve, quàm ex veri ſoli-

solidâque animi fortitudine, firmâque rerum experientiâ ac præsagio certo, censendus est olim *Socrates* magnanimam illam emisisse vocem; *Si ità Diis immortalibus visum est, ità utique fiat. Me verò* Anytus *&* Melitus *occidere quidem possunt, lædere verò non possunt.* Atque hæc breviter de *Bonis Externis.* Epict. *Enchirid. cap.* 79.

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

De Libero Arbitrio.

1. HActenus de *Beatitudinis Cognitione*, *Virtutis*que, quæ Beatitudinis pars præcipua est, vel potiùs Summa: Sequitur *Acquisitio*. Qua in parte multò compendiosiùs agemus, tum quòd quæ hactenus tradita sunt non parùm faciant ad Virtutem acquirendam, tum etiam nè Opusculum hoc nostrum ultra justam *Enchiridii* molem excrescat. Itaque Meditationum quarundam Capita *Virtutis acquisitioni* inservientia recensebimus potiùs quàm tractabimus.

2. Cæterùm priusquam illuc deveniamus, necesse erit de *Libero Arbitrio* pauca præfari, absque quo frustrà videri potest omnis ad Virtutem adhortatio.

Cui quidem argumento affinis est celebris illa quæstio quæ aliquoties ab * *Aristotele* propo-

* *Ethic. Nicom. lib.* 10. *cap.* 10. *Eudem. lib.* 7. *cap.* 14.

nitur, fusiúsque apud *Platonem* tractatur in *Menone*, scilicet, *An Virtus hominibus obveniat consuetudine, an naturâ, an Divino quodam fato*, vel, quod idem sonat, *bonâ Divinâque quadam fortu-*

fortunâ. Sunt enim qui ab altera quæstionis parte valde abhorrent, ut qui autumant, multùm derogaturum humanæ naturæ perfectioni, si quis Naturâ vel divino quodam Fato bonus esset, propterea quòd hoc pacto necessariò esset bonus, Liberóque arbitrio privari videretur. Uberiorem enim laudis segetem liberè factis deberi existimant, quàm quæ à nobis necessariò perficiuntur. Quod perinde mihi videtur, ac si quis Deum minùs adorandum censeret quòd non potest esse malus. Suppono enim eum qui divino quodam Fato vel Naturâ bonus est, tam vivido & efficaci sensu Honesti imbutum esse, ut æquè impossibile sit ipsum contra hunc sensum quicquam committere, ac hominem sanæ mentis, nec ullis oppressum calamitatibus, seipsum pugione transfigere.

3. Siqui igitur essent hujusmodi homines, omnium essent perfectissimi veríque *Heroes*, & tanquam ex stirpe Deorum prognati; quales ille *Homeri* versiculus indigitat,

——————*nec enim esse putares*
Mortali genitore satum, at genus esse Deorum.

Quem quidem versum adhibet & *Aristoteles* in describendo eam quam ille appellat *Hervicam Virtutem*: Quæ cœlitùs immitti hominibus potiùs videtur quàm humanâ industriâ acquiri; quæque *Vis* si tota simul animo insita esset, vel infusa, *Virtus* tamen esset nihilominus propriè dicta, juxta nostram *Virtutis* definitionem, qui *vim* definivimus, non *habitum*, ut qui *vis* est quæ exercitatione & consuetudine comparatur; quæ circumstantia ad veram Virtutis naturam

Ethic. Nicom. lib. 7. cap. 1.

turam nihil prorsus attinet. Modò enim insit hæc *vis* animabus nostris, nihil refert utrùm crebris actionibus comparata sit, an divinitùs nobis inspirata.

4. Cùm verò hæc conditio ad pauciſſimos pertineat, si ad ullos, non multùm præsenti difficultati insudandum est; nec tam quærendum quàm utilis foret quævis ad Virtutem Parænesis hujusmodi hominibus, qui eò vel naturâ vel Divino quodam fato necessariò ferri videntur, quàm definiendum quàm cæteris mortalibus sit necessaria; qui cùm *libero* suo *arbitrio* in utramque partem uti possint, optimis quibusque argumentis excitandi sunt & urgendi, ut eò se inclinent quò officii sensus eos vocat rectáque rerum agendarum ratio.

5. Sed & ante omnia ipsis inculcandum est, quàm præstanti penèque Divino gaudent Privilegio, quòd, cùm cætera animalia sensus habeant ad solos corporis usus ac voluptates defixos, illi tamen *libero* suo freti *arbitrio* possint, si velint, omnia malarum cupiditatum vincula paulatim diffringere, & (cum bono Deo) in eam tandem se expedire libertatem quæ homines decet ad imaginem Dei creatos, divinæque Rationis participes.

6. Quæ quidem persuasio cùm veriſſima sit, maximámque vim habeat ad pertrahendos homines ad Virtutis studium; & ad ipsorum animos corroborandos contra omnes Vitiorum impetus & insultus; mala profectò eis debetur gratia qui tam sedulò navant operam ut opinionem contrariam mentibus hominum inge-

ingenerent. Quod quidem strenuè & studiosè facit nostrâs *Hobbius* in Libello suo *de Libertate & Necessitate*: Cujus tamen præcipua Argumenta solidè mihi videor confutâsse in Libro *de Animæ Immortalitate*, quòd Lectorem remitto. *Lib. 2. c. 3.*

7. Interea loci maximopere notandum esse censeo, quòd inter cæteras causas quibus contendit Voluntatem humanam necessariò vel ad fœdissima quævis flagitia determinari, etiam hanc suam *de Necessitate* opinionem connumerandam esse agnoscit. Quæ quidem falsissima sententia si tantam vim habet ad Vitium & turpitudinem, necesse est ut æqualem saltem habeat vera illa *de Libero arbitrio* opinio ad Virtutem vitæque probitatem: Adeò ut omnibus modis fovenda sit tam utilis ad bonos mores efficáxque persuasio.

8. Cujus Opinionis veritas ut clariùs innotescat, primò quid sit *Liberum Arbitrium* videbimus; deinde, quòd hujusmodi Principium hominibus insit, breviter demonstrabimus. Videtur autem *Liberum arbitrium* idem ferè innuere quod Græcorum αὐτεξούσιον, quod idem est quod *in seipso habere potestatem agendi & non agendi.* Quod autem in seipso sit principium agendi, convenit cum illo quod ἑκούσιον sive *Spontaneum* dicitur, quódque definitur apud *Andronicum*, οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ ποιοῦντι πᾶσα, *Cujus principium totum est in Agente.* Sed quod mox in eodem Capite subjungit, *Quæ verò quis facit à seipso motus, eorum agendi & non agendi est dominus*, non est usque adeò verum. Andronic. Rhod. *lib.* 3. *cap.* 1.

Potest

Potest enim quis à se solo moveri, hoc est, ab insito Virtutis principio, cùm tamen aliter agere non possit, nec aliò, propter validum & efficacem Honesti sensum, voluntatem suam deflectere. Exempli causâ, Potest quidem vir probus per ingenii corporísque vires hominem innocentem, & fortean de se bene meritum, ex insidiis adoriri & occidere: at per vividum illum Honesti sensum quo animus illius tinctus est & incoctus, nullo modo potest tam horrendum facinus perpetrare. Quòd igitur hic, quantumvis multis præmiis & pollicitationibus invitatus, sistit *οὐκ ἀφροδιασίαν*, (i. e. *membrorum per nervos attractionem*,) ut loquitur *Marcus Antoninus*, nec se ad tam turpe facinus accingit, à se solo est; nec tamen hujus abstinentiæ ità dominus est, ut possit non abstinere.

Concedo sanè, si vellet, posse quidem tam fœdum & immane facinus committere; quòd verò non possit *velle*, id est quod vehementer contendo.

9. Strictius igitur quiddam est *Liberum Arbitrium* quàm *Voluntarium* vel *Spontaneum*, dum in se etiam complectitur hanc differentiam, nempe *potestatem agendi & non agendi*. *Spontaneum* verò simpliciter definitur, *Cujus principium in ipso est cognoscente singula circa quæ est actio.* Unde tam illud quod *per ignorantiam*, cujus ipsi causa non sumus, quàm quod *per violentiam* coacti facimus, rectè *ἀκούσιον* sive *Invitum* dicitur.

Andronic. Rhod. *l.* 3. *cap.* 2.

10. *Spontaneum* verò quod ità liberum est ut possimus aliter velle atque agere, illud propriè est

est *Liberi arbitrii*, quod liberam in nobis præelectionem supponit; quam *Andronicus*, ex mente *Aristotelis*, definit *Appetitionem deliberativam eorum quæ in potestate sunt nostra. Ea enim sunt* (inquit ille) *quæ in deliberationem cadunt, quorum quispiam faciendi & non faciendi est dominus.* Atque hæc ipsa illa sunt quæ vocat τὰ ἐφ' ἡμῖν, *quæ in nostra sunt potestate.* Lib. 3. cap. 4.

Quæ potestas quando illa quæ turpia sunt spectat, Perfectio quædam est; quando verò quæ pulchra & honesta sunt, pessima quædam Imperfectio. Est enim ab ipsa Improbitate gradus proximus, posse deflectere Voluntatem ad actionem quamlibet turpem. Abstinere tamen nos potuisse à rebus turpibus etiam tum cùm de facto non abstinuimus, potestas est quædam perfectiva, magníque profectò momenti eam in nobismetipsis agnoscere. Quam igitur humano generi infitam esse brevissimis hisce indiciis facilè detegemus.

11. Neque enim opus est alia hîc afferre quàm quæ suprà notavimus in Capitibus *de Passionum Interpretatione.* Nam quod subindè nos mordet Conscientia nostra postquam commisimus aliquid quod ante debitam deliberationem nec sine aliqua animi fluctuatione statueramus, vel ex hoc solo clarè liquet aliquando nos ità agere, ut aliter tamen & voluisse & egisse potuissemus. Quod est hoc ipsum quod dicimus *Liberum arbitrium.*

12. Cui consimilis prorsus est ratio de *Pœnitentia.* Nam quæ affectu aliquo abrepti, scientes prudentesque, contra rationem Honesti com-

commiſimus, eorum poſtea dicimur pœnitere, non dolere tanquam *Infortunia*; qualia tamen eſſent hujuſmodi malefacta, ſi nunquam in noſtra poteſtate fuiſſet ea effugere, ſed divino quodam Fato neceſſariâve Cauſarum ſerie ad ea deſtinati ſemper fuiſſemus, vel irreſiſtibiliter determinati. *Infortuniorum* verò neminem pœnitet, ſed *Peccatorum*, quòd ſuâ ipſius culpâ, cùm aliter agere potuiſſet, commiſſa ſint. Peccatorum autem pœnitere quæ devitare nunquam in noſtra fuit poteſtate, perinde eſt ac ſi quis ubertim deflereret improbitatem ſuam ac malitiam, ſolennémque ageret pœnitentiam, quòd non creatus ſit Angelus, aut natus Princeps; quemadmodum & ſuprà inſinuavimus.

13. Poſtremò, quid eſt quòd alios homines ob ſua facta reprehendimus, aliis ignoſcimus, aliorum denique miſeremur, ſi humanum genus Libero deſtituatur arbitrio, nec in noſtra poteſtate ſitum ſit quæ turpia ſunt fugere, amplecti verò quæ honeſta ſunt & pulchra? Nam ex æquo deberetur omnibus venia vel commiſeratio, ſi quicquid dicuntur peccare homines, neceſſariò id facerent, nec aliter agere potuiſſent. Et quò cujuſque facinus immanius eſſet & deteſtabilius, eò majori commiſeratione veniâque morali dignus videretur. Quæ cùm intimis animi noſtri ſenſibus communibúſque notionibus repugnent, neceſſe eſt agnoſcere quaſdam ſaltem actiones hominum *liberas* eſſe, id eſt, ex iſtiuſmodi principio profectas quale nos ſuprà ex *Ariſtotele* de-

deſcripſimus, appellavimúſque *Liberum arbitrium.* Qua de re neminem ſpero dubitaturum, poſtquam duabus præcipuis Objectionibus ſatisfecimus, quæ maximo cum ſtrepitu contorqueri ſolent à fautoribus adverſæ ſententiæ.

CAP. II.

Objectiones duæ præcipuæ contra Liberum Arbitrium proponuntur, & diluuntur.

1. PRima Objectio petitur à Præſcientia Divina, quam omnem Contingentiam, ac proinde Voluntatis humanæ Libertatem, tollere contendunt. Altera à natura Boni etiam apparentis; quòd quoties vel quamdiu quid bonum vel optimum alicui videtur in datis circumſtantiis, neceſſariò voluntatem ejus determinet ad illud amplectendum, quia nulla ſubeſt ratio vel cauſa quæ eum avocet, vel actum ejus ſuſpendat. Cùm enim ità comparata ſit Voluntas humana, ut pro rerum momentis aliò atque aliò deflecti poſſit; impoſſibile videtur ut eò non inclinet quò eam momentum aliquod impellit, cùm in altera lance nihil ſit quod contrà ponderet. Quod ſi ſit, majus tamen quod apparet bonum ſemper præponderabit. Nec ulla ratio reddi poteſt cur quis minori bono moveretur magis quàm nullo: Nam

ſi

ſi minus majori in rationis lance præponderat, nihil eſt quo præponderat, nihilóque ratio noſtra & electio movetur; quo tamen nihil poteſt eſſe abſurdius.

Voluntas igitur ſemper propendet ad majus bonum apparens, ac proinde neceſſariò ad unum determinatur. Unde planè efficitur nullum ineſſe nobis Liberum arbitrium, neque nos aliter unquam agere potuiſſe quàm egimus.

2. Cæterùm quòd ad primam Objectionem attinet, non eſt difficilis reſponſio. Non poſſumus enim non concipere Divinam Præſcientiam Scientiam quandam eſſe uſquequaque perfectam, nec errare poſſe circa Objectum de quo pronunciat, ſed ſemper pronunciare uti res eſt, de re contingenti quòd ſit contingens, de neceſſaria quòd neceſſaria ſit. Unde ea quæ contingentia ſunt, & à libero profecta Principio, ità eſſe etiam Divino ſuffragio comprobantur. Neque enim coercere debemus Divinam *Omniſcientiam* intra anguſtiores limites quàm *Omnipotentia* illius clauditur, quam poſſe quicquid contradictionem non implicat omnes uno ore confitentur.

Ut breviter igitur hanc difficultatem expediamus; Effectorum contingentium vel à libero principio profectorum Præſcientia aut contradictionem implicat, aut non. Si contradictionem implicat, hujuſmodi effecta non ſunt Divinæ Omniſcientiæ Objecta, nec proinde ab ipſa determinantur, rectéve determinari cenſentur. Si non implicat contradictionem, ipſo facto agnoſcimus Præſcientiam Divinam & Liberum

berum arbitrium minimè esse ἀσύστατον, sed utraque simul commodè consistere posse. Utrocunque igitur modo, efficitur nullum argumentum solidum à Præscientia Divina deduci posse contra humanæ Voluntatis Libertatem.

3. Alterius difficultatis sensus totus ferè resolvitur in proverbialem illum versiculum, *Nemo est lubens malus, aut beatus invitus*; vel in dictum illud *Socraticum, Omnis improbus ignorat.* Quasi nihil deesset Voluntati humanæ ad Bonum amplectendum præter ipsius cognitionem, itáque illa comparata esset, ut Bonum cognitum nullo pacto repudiare posset. Quod quidem si verum esset, non tam esset opus hortationibus ad amorem Virtutis quàm ad Sapientiæ studium; nec humani Arbitrii libertas tam quærenda vel statuenda in prælectione quàm in deliberationibus & consiliis, quæ ità semper regi debent, ut nihil concludatur quod præstantissimo omnium Fini repugnet. *Ethic. Nicom. lib. 3. cap. 5.*

4. Quamobrem, cùm tam confusè animo nostro obversetur Idea summi Finis, qui *Beatitudo* dicitur, maturè & ante omnia unumquemque inquirere oportet, in quibus potissimùm hæc Beatitudo consistit, omnésque animi nervos eò intendere. Quod an sit in omnium potestate positum, ardua & difficilis est quæstio.

Videntur enim plerique mortales non dissimiles hominum ex morbo aliquo decumbentium, qui se nesciunt curare, quíque debent ab iis qui sani sunt visitari, rectáque consilia ab ipsis medelásque accipere. Ipsi verò à seipsis parùm posse discere videntur, nec, cùm toti occupati

pati sint & occæcati falso apparentium bonorum lumine, ad verum illud ultimúmque Bonum oculorum aciem dirigere, aut ullo modo perspicere qui sit excellentissimus ille summúsque humanæ vitæ scopus. *Omnes enim appetunt Bonum apparens, neque propriæ imaginationis sunt domini; sed qualis quisque est, tale sibi summum effingit Bonum.*

Ethic. Nicom. lib. 3. cap. 5.

5. Hanc Objectionem proponit quidem *Aristoteles* Ethic. lib. 3. sed non aliter solvit quàm concedendo, aliquando in eorum qui nunc excutiunt fuisse potestate quid verum sit Bonum perspicere, & non minùs sponte homines malos esse quàm bonos: sed directè Objectioni non satisfacit. Quanquam sanè placere sibi videtur ornatiùs solito & copiosiùs eam proponendo ad hunc modum: *Quod nemo scilicet sibi causa est faciendi mala, sed propter finis ignorantiam ista agit, sperans per ea sibi fore quod Optimum est. Finis verò appetitio non cadit in electionem; sed ità nasci quempiam oportet tanquam visum habentem, quo rectè judicabit, illúdque quod revera bonum est eliget. Et cui hoc à nativitate feliciter contigit, probè ingeniatus est, sive bene à natura comparatus. Nam maximum pulcherrimúmque, & quod nascitur, nec ab alio quopiam accipi addiscive potest, possidebit Bonum. Atque bene ac feliciter sic gigni, perfecta veráque est Bonitas ingenii.*

6. Cùm verò εὐφυΐα hæc, sive *bona ac benigna indoles*, virtutis sensúsque rerum optimarum capax, omnem industriam nostram antecedit, (utpote quæ Naturæ donum est, non humanæ curæ

curæ ac diligentiæ præmium,) ſi quis hâc deſtituatur, manifeſtum eſt vera Virtutis officia in illius poteſtate non eſſe, nec eum, niſi *Deus quaſi è Machina ſuperveniens* ipſum ſanatum iverit, vel ſaluberrimis hominum monitis & conſiliis, abſque vi ac verberibus, parere poſſe. An verò aliqui hâc ἐυφυΐᾳ omni ex parte deſtituantur, quóve id fiat fato, tam ardua eſt & perplexa quæſtio, ut declinare eam prorſus malim, quàm in tam profundum Providentiæ Arcanum meipſum induere atque immergere.

7. Quod ad eos verò attinet quibus ineſt aliquod hujus veri ſummíque Boni præſagium, videtur in eorum poteſtate ſitum eſſe, utrùm velint pleniorem clariorémque illius notitiam ſibi comparare, an paulatim eam ſinere extingui. Quod ſi fecerint, etiam *ſponte vel peſſimi* eo ſenſu aliquando dici poterunt, quo ægrotus ex intemperantia *ſponte febricitare. Antequam enim ægrotaret, in illius erat poteſtate ſanitatem cuſtodire. Cùm verò ſemel amiſerit per vitæ incontinentiam, non eſt in illius poteſtate ſanitatem recuperare. Quemadmodum lapidem quiſpiam poteſt in fundum maris projicere; quando autem projecit, non poteſt rurſus reſumere. Nihilominus tamen ſponte projecit lapidem: In ejus enim erat poteſtate projicere, vel retinere:* quemadmodum rectè nos docet ex *Ariſtotele* peritiſſimus illius Paraphraſtes. *Lib. 3. c. 6.*

8. Quibus verò extinctus eſt omnis ſenſus honeſta diſcriminans & turpia, ſoláque apud ipſos viget animalis vita, quâ ſibi ſuíſque commodis quo jure quâve injuriâ ſemper conſu-

lunt, nec nisi unius generis bona, ea utique quæ ad animalem vitam referuntur, sapere nôrunt, vel, si fortè alia sapiunt, sibi solis tamen sapiunt, seque ipsos quærunt in omnibus; in hisce concedo Voluntatem ad majus quod apparet bonum semper determinari, nec majori eos gaudere libertate quàm ipsa Bruta, quorum appetitus ad majus bonum necessariò defigitur, cùm unicum ipsis insit agendi Principium, & unius generis Objectum eis obversetur. In quo solo casu vim habet secunda Objectio.

9. Cæterùm cùm hominibus pleriſque omnibus duplex insit Principium, *Divinum* unum, alterum *Animale*; cúmque *Divini* illius Principii dictamen semper sit illud quod absolutè & simpliciter optimum est, quódque vera Virtus semper sibi proponit in singulis actionibus & deliberationibus, utpote quod æternæ illi & immutabili Rationis Legi Deo nobísque communi consonum est, quemadmodum suprà clarè nos edocuit *Cicero*; è contrà verò, *Animale* Principium nihil homini suggerat nisi quod sibi ipsi bonum, jucundum vel utile sit, hoc est propriæ personæ gratum acceptúmque, utcunque interim violetur communis illa Lex & universa rerum Ratio: ex horum duorum Principiorum oppositione & conflictu facilè intelligitur Liberi nostri arbitrii natura atque conditio.

10. Hoc enim in seipsis experiri possunt omnes ferè mortales, quòd aliquando etiam tum cùm satis clarè perspiciunt quid absolutè & simpliciter melius esset, quídque diviniori illi Legi

Legi magis consonum, eò tamen voluntatem suam non inclinabat, nec eas vires, quarum tamen ipsi sibi conscii sunt, exserunt ad prosequendum tam pulchrum debitúmque Objectum, sed eò ferri se sinunt quò propria utilitas corporísve voluptas ipsos avocat. Cùm tamen interea ipsi sibi satis intimè conscii sint, in eorum potestate esse situm τῆσαι τὴν ἐνεργοποιεῖαν, externósque hosce corporis motus coercere, & abstinere se ab istiusmodi actionibus; sine quibus hujusmodi turpis aut voluptatis aut lucri fructus carpi non potest.

11. Sed & dum bellas huic ignaviæ causas prætexunt, spem utique veniæ ob Divinam benignitatem, & opportunitatem in posterum emendandi suos mores; dúmque illud differunt in aliud tempus, quod & se posse & debere facere in præsens ipsi sibi sunt conscii, sed malunt experiri illa gaudia quæ in explendis cupiditatibus sibi præsagiunt; ex istis, inquam, omnibus aliter se agere posse planè agnoscunt, & humani Arbitrii libertatem palàm profitentur.

12. Ex his igitur manifestum est, quòd nihil sit necesse ut Voluntas humana semper feratur ad majus, hoc est, excellentius, Bonum. Potest enim pro libero suo arbitrio illud deserere quod absolutè melius est, & adjungere se illi quod animali vitæ gratius est & jucundius; aut pati seipsam eò ferri, dum non exserit eas vires quarum ipsa sibi est conscia.

13. Quòd si nulla alia nobis inesset vita vel lex quàm illa quâ quod nobis ipsis, quà nobis,

bonum est sapimus & quærimus, non quod absolutè & simpliciter bonum, (quod divinum quiddam est, & æternæ Menti, Universi hujus conditrici & conservatrici, consonum & cognatum;) ingenuè fateor quòd perdifficilis foret provincia probare ullum in nobis esse Liberum arbitrium, aut Voluntatem nostram ad unum aliquod quod nobis optimum videtur in singulis deliberationibus necessariò non determinari.

14. Sed ut nihil dissimulem; tam clarè mihi constat Diviniorem illam Legem nobis inesse quàm Animalem, rectámque Rationem illam Legem esse quâ nihil hominibus à Deo immortali datum est aut dari potest perfectius aut divinius, quâ monemur & obligamur propria commoda bono publico semper posthabere, nec privatam cujusque utilitatem aut voluptatem mensuram facere humanarum actionum. Qui verò sacrosanctâ hâc Lege jure se exsolutum putat, audacter enuncio, nullum animal per totam rerum universitatem isthoc homine reperiri posse turpius, vilius vel abjectius; nec quenquam esse qui magis haberi mereatur humani generis communis pestis & opprobrium.

15. Atque hæc de *Libero Arbitrio* quâ potuimus brevitate ac perspicuitate. Præcipua *Hobbii* Sophismata quod attinet, abundè ea refutavimus in Tractatu *de Animæ immortalitate*, quò Lectorem iterum remitto, & ad Theoremata interim Virtutis acquisitioni inservientia propero. *L. b. 2. c. 3.*

CAP.

CAP. III.

Theoremata acquirendis Virtutibus in genere inſervientia.

1. *Theoremata* Præceptáve quæ Virtutis acquiſitioni inſerviunt *Generalia* ſunt, vel *Specialia*. *Generalia* ad hæc tria Capita reducuntur. Evincendum enim eſt primò, Quòd debemus operam navare Virtuti acquirendæ; deinde, Quòd in noſtra poteſtate eſt Virtutem acquirere; Tertiò, denique, addemus Monita quædam ſive Præcepta, eáque pauca ſanè, ſed quæ efficaciſſima putamus ad Virtutem acquirendam.

2. *Quòd debemus operam dare Virtuti, Vitiáque fugere*, ex propriæ Conſcientiæ ſenſu nobis clarè innoteſcit. Sed etiam ex Rationis lege, quam nobis indidit Deus, manifeſtum eſt nos ad Virtutis officia obligari. Eſt enim ille qui in nobis Intellectus eſt ſive recta Ratio ſuperius quiddam, & cui reliquæ omnes Facultates naturali jure tenentur obtemperare. Virtutis autem Lex rectæque Rationis prorſus eſt eadem. Virtus enim in ſingulis actionibus nihil quærit niſi quod ſimpliciter optimum eſt, hoc eſt, rectæ Rationi conſonum, ut ſuprà docuimus. Cùm verò hæc ſive Virtutis ſive rectæ Rationis Lex non ſit quiddam poſitivum vel arbitrarium, ſed æternæ & immutabilis naturæ, neceſſe eſt ut ad obtemperandum inſtitutis illius

lius ac præceptis æterno & inextricabili nexu devinciamur.

3. Præterea, Ex communi lege Naturæ omnia tenentur quæ ſua ſunt agere, hoc eſt, quæ propriæ naturæ ſunt conſona. Homines igitur humanam vitam degere oportet, non belluinam: Cùm tamen vita hominis belluina prorſus eſſet, ſi Virtutis fructu careret rectæque Rationis.

Quicquid infra Virtutem in nobis eſt rectámque Rationem, id non eſt nos ipſi, ſed *bellua quædam* nobis addita, (τὸ λεοντῶδες καὶ θηριῶδες, ut loquitur *Plotinus*,) quam nos ſubjugare debemus, veróque homini obſequentem reddere. Nos ſolummodo id ſumus quod in nobis optimum eſt, quóque reliquis animalibus præſtamus. *Lib. 10. c. 9.* *Nam is unuſquiſque eſt*, inquit *Andronicus Rhodius*, *quod in ipſo principaliſſimum eſt atque optimum; & qui ſecundùm hoc vivit, rectè dicitur ſibi ipſi vivere, ſuámque quàm maximè propriam vitam.* Valde autem abſurdum eſſe paulò antè ait, ſi quis non ſuam, ſed alicujus alterius, ſibi vitam eligeret: Hoc δεινὸν ἄ τοπον, *immane quiddam atque horrendum*, eſſe rectè contendit. Hoc tamen faciunt illi qui, rejectâ Virtute, indulgent cupiditatibus. Nam pro ſua vita, hoc eſt, humana, planè ſibi eligunt belluinam.

4. Porrò, Si debemus nobiſmetipſis proſpicere noſtríſque commodis, & maturè cavere nè in maxima incidamus incommoda ac infortunia, debemus certè Virtutem colere atque amplecti, ſine qua nec à præſentis vitæ calamitatibus nec ab horrendis illis Inferorum pœnis

(quas

(quas non ſolùm Religio, ſed & ipſa Philoſophia apud *Platonem* aliòſque, comminatur) unquam ſecuri eſſe poſſumus.

5. Poſtremò, Tametſi non videremur ex officio teneri ad optimè nobiſmetipſis conſulendum, quia volenti (quod aiunt) non fit injuria; tamen cùm non temere nati ſimus, ſed à Deo Optimo Maximo facti vel creati, debemus proculdubio creationis jure ipſi ſubjici, eáque facere quæ ille nobis præcipit per Divinam Legem.

Eſt autem illa Divina Lex æterna & immutabilis Ratio, quæ cum Recta una ſemper eſt atque eadem, ut Circuli figura vel Trianguli. Hanc nobis indidit Deus, Animæque præfecit ὥσπερ τινὰ ἔνοικον θεὸν, *tanquam domeſticum quendam Deum*, ut loquitur *Hierocles*; tanquam Vicarium Legiſlatorem & Judicem, ex cujus præſcripto omnia nobis ſunt agenda, cùm ea nihil aliud ſit niſi Divinæ voluntatis Tranſcriptum; cujus Summa eſt, ut foveantur Virtutes, Vitia verò Animabus noſtris omni cum ſtudio exſtirpentur.

6. Quod id ipſum eſt quod etiam teſtatur *Hierocles*: *Quòd Deus, Legiſlator ſimul exſiſtens & Judex, bona quidem ſtatuit, mala verò è medio tollenda decernit.* Et paulò poſt; *Solus verò ille Legis ſcopus eſt qui Deum deceret nobiſque eſſet utilis, amputare ſcilicet omne vitium, animámque improbitate ſuâ lapſam omnimodis juſtitiæ caſtigationibus purgare, & in recordationem revocare rectæ Rationis.* Itaque cùm interna hæc rectæ Rationis lex tam potentem etiam extra nos re- *In Commentar. in Aurea Pythag. Carmina.*

ſpiciat Judicem & Legiſlatorem, cui etiam Creationis jure ſubjicimur, nobis non licet eſſe miſeris, ſed inviolabili Lege obligamur ad Virtutem verámque Felicitatem aſpirare.

7. Quòd verò non ſolùm ad Virtutem aſpirare debemus, ſed quòd poſſumus etiam illam aſſequi, ex ſuprà-demonſtratis manifeſtum eſt; nempe ex eo, quòd libero pollemus Arbitrio, propriáque teſtatur Conſcientia, ubi in re qualibet perperàm egimus, nos aliter egiſſe potuiſſe. Quam quidem Facultatem mirum in modum augere poſſemus & corroborare, ſi exercere nos vellemus in abſtinendo à rebus etiam adiaphoris, ſi quando perſentiſcimus eas nobis nimiopere placere; vel cùm nobis ingratæ ſunt, ſi vel eo nomine eas acceptare vellemus, illíſque obfirmato animo nos aſſuefacere.

Videtur enim planè in noſtra poteſtate poſitum eſſe externum hoc *Neuroſpaſton* movere ac ſiſtere prout volumus; quanquam in primos illos & interiores motus, quos τὰς πρώτας κατὰ φύσιν ὁρμὰς (*primos naturæ impetus*) veteres Philoſophi appellârunt, tam abſolutum imperium non habemus. Imò verò facilè nobis obrepunt variæ cupiditates & averſationes; ſed penès noſmetipſos eſt vel ſubducere nos ab Objectis quæ nimis placent, vel nos admovere eis quibus minùs oblectamur.

Quod ſi conſtanter fecerimus in rebus indifferentibus, quatenus per ſanitatem corporis licebit morúmque civilitatem, Liberi noſtri Arbitrii vires mirandum, quod dixi, in modum augebi-

gebimus, & noſmetipſos tandem in perfectam vindicabimus libertatem. Nam niſi morem geramus Cupiditatibus & Averſationibus, langueſcent tandem faciléque Rationi obſequentur.

8. Sed & aliâ ratione evinci poteſt penès noſmetipſos eſſe in viros probos tandem evadere, veraque Virtute præditos. Nam in noſtra planè poteſtate ſitum eſt *ſinceros* eſſe: Quippe quòd per *Sinceritatem* nihil hîc aliud intelligo, niſi conſtans propoſitum ea omnia faciendi quæ ſunt in noſtra poteſtate, ad veram Virtutem acquirendam. Nos autem ea omnia facere non poſſe quæ tamen facere in noſtra poteſtate eſt, enormis quædam eſt repugnantia & contradictio. Itaque manifeſtum eſt, in noſtra poteſtate eſſe nos eſſe *ſinceros*.

9. Quamprimùm verò quis ſimplex & ſincerus evaſerit, intelligat ſe ſpeciali quadam Providentiâ cinctum eſſe ac munitum, Deúmque in ſingulis ſuis conatibus præſtò eſſe adjutorem & fautorem, ut *Hercules* aurigæ, in fabula, admoventi humeros rotæ. Eſt enim univerſa Natura Deo plena boníſque Geniis, qui idonea quærunt Objecta in quæ *amatorium oculum* defigant, quæque mirifico ſuo miniſterio ſublevent, & (quemadmodum decet fideles illibatæ Simplicitatis Satellites) aſſiduis ſuis officiis animam ſinceram omnibus hujus mundi laqueis & illecebris expediant, extráque ſordes cœnúmque hujus vitæ in purum tandem tutúmque ſtatum tranſlocent: Leves autem & incertos animos prætereunt, ut periti Artifices materiam ineptam & fatiſcentem.

Neque

In Aurea Pythag. Carmina.

Neque enim ſolùm verum eſt illud *Hieroclis* de Subſtantiis, ſed & de Qualitatibus: *Commenſurabilis enim eſt Eſſentiis Univerſi etiam Providentiæ Lex.* Quòd ſi in univerſum accipiendum ſit quod idem paulò antè ſcribit, nempe, *Quòd Juſtitia atque Ordo has rationes res noſtras adminiſtrandi Diis qui nos antecedunt immortalibus ſtatuit, ea utique machinari circa nos quæ noſtram in his terris improbitatem minuant, quæque poſſint ad ipſos nos rurſus revocare; ſoliciti enim ſunt de nobis tanquam de ſuis lapſis conſanguineis:* quantò certiores eſſe poſſumus, quòd ſimplicibus & ſinceris animabus ſpeciáliorem in modum opitulantur tum Deus tum immortales Genii? Quæ autem Vitiorum moles tantæ Potentiæ diu reſiſtere poteſt, quin diruatur funditus & in vágum pulverem diſpergatur?

10. Quibus omnibus inſuper addas, etiam interioribus quibuſdam modis nobiſcum agere Deum. Nam ſimulatque didicerimus ſapere quæ Virtutis ſunt, *Divinóque gaudere ſenſu*, nobis intus ſe adjungit vis quædam humanâ major: Et quemadmodum illi qui vitæ animali ſe totos dedunt abſorbentur quaſi à Spiritu Naturæ, & cæco quodam impetu ad furioſa quævis fœdáque facinora ſubindè abripiuntur, & hâc turpi ſervitute captivantur vel inviti, fatalibúſque quaſi quibuſdam catenis detinentur; ità qui ſimplici & ſincero affectu ad Virtutem anhelant attolluntur protinus, ſuffulciuntur & corroborantur à *Spiritu illo Intellectuali qui omnia complet*, (quod *Marcus Antoninus* vocat τὸ πάντα ϖεριέχον νοερὸν,) cúmque illo arctiſſimis amoris

amoris vinculis conjunguntur. Unde facillimo negotio ad omne Virtutis opus feruntur, *tanquam Divino numine afflati & correpti*, ut loquitur *Plato*.

11. Atque hoc illud ipsum est quod suprà monuimus ex *Antonino*; Non solùm utique cum ambiente aëre conspirare nos debere, sed ab Intellectuali illa vi quæ omnia complectitur in consensum rapi. *Neque enim minùs hæc Intellectualis vis per omnia perfunditur & pervagatur ei qui novit attrahere, quàm ista Aërea illi qui potest respirare.* Neque quicquam nobis deest quo hanc vim attrahamus, præter sincerum hunc affectum quo quæ sunt Virtutis sapimus. Hoc enim ipso cum Deo conjungimur, quandoquidem Virtus rerum omnium est divinissima, nôsque Deo similes efficit, ut rectè etiam monet *Hierocles: Sensus enim Entheus sufficienter stabilitus connectit nos cum Deo: Necesse enim est ut simile feratur ad simile.* Τῶν εἰς ἑαυτὸν l. 8. sect. 54. *In Aurea* Pythag. *Carmina.*

Quid igitur est quod præstare non valemus in Virtutis officiis tam potenti uniti Principio? Aut quomodo de Deo ejúsve Providentia dubitare possumus, dum ipsius vitam & ἐνέργειαν tam efficaciter in nobismetipsis operantem experimur? Neque enim nostra illa vita est, sed Dei, dum nobismetipsis exuti, hoc est, affectibus animalibus, ad id solùm quod simpliciter bonum est, quod solius Dei est, (qui ex æquo totius Universi utilitati consulit,) constanter contendimus & anhelamus.

Non est igitur diffidendum quin ad perfectam tandem perveniamus Virtutem tam po-

potenti Principio & Auxilio freti.

12. Sunt autem (quod ultimo loco occurrit) certi quidam modi ac rationes quibus facilius ad hunc ſcopum pertingere poſſimus; ut, *Si ſeriò & frequenter de hujus caduci Corporis morte meditari velimus, déque Animæ noſtræ Immortalitate.* Permagnam enim vim habet ad extinguendas omnes cupiditates quæ in hoc mortale corpus terminantur, ſeriò conſiderare, brevi fore quòd corporea hæc atque viſibilis perſonalitas in vagas disjicienda ſit atomos, omniáque illa quæ ad hanc compagem pertinent in æternum relinquenda, ut Divitiæ, Honores, Corporiſque voluptates: Ac proinde, conſultius eſſe maturè nos ablactare à rebus omnibus caducis, & paulatim noſmetipſos diſſuere & divellere à conſenſu & ſocietate terrenæ hujus carnis; & purioribus divinioribúſque voluptatibus & operationibus, quæ ab illa non pendent, Animam noſtram aſſuefacere. Quæ quidem Summa eſt Philoſophiæ *Platonis*, quam ille propterea olim definivit *Meditationem mortis.*

13. Nec morbus eſt ſic *per ſapientiam mori*, prout perperàm alicubi ſubinſinuat *Plinius*, ſed perfectiſſima Sapientia. Ille enim verè ſapit qui proſpicit in longitudinem, nec præſentes voluptates infinitâ malorum ſerie occupari ſinit & opprimi. Unde omnibus nervis incumbendum eſt Virtuti, quæ ſola, ut ipſa Anima, immortalis eſt, propriúſque illius ornatus & perfectio. Cujus etiam tanta eſt cum ipſa Animæ immortalitate cognatio, ut ſenſus quidam

Hiſt. Nat. l. 7. c. 50.

dam ac præceptio Immortalitatis simul cum ipsâ Virtute Animæ nostræ, ut plurimùm, ingeneretur.

14. Secundò, *Cogitandum est quàm ineffabilis perfectèque Animam implens in Virtute sit voluptas.* Nam cùm Animæ lapsus sit à Virtutis statu in Vitium; necesse est ut cùm ad Virtutem revocetur, ex hac restitutione mirabiles percipiat voluptates; quandoquidem Philosophi ipsam *Voluptatem* definiunt *restitutionem ad statum naturalem.*

Status autem naturalissimus illius quod rationis particeps est proculdubio est Virtus, cùm ea nihil sit aliud quàm constans quædam & perpetua propensio ac promptitudo ab obsequendum rectæ Rationi.

Quibus addas quod occurrit apud *Aristotelem*, hanc voluptatem nobis esse propriam, ac proindè optimam & jucundissimam. *Quod enim maximè proprium est unicuique suæ naturæ, hoc præstantissimum est unicuique & jucundissimum.* Est autem homini propria recta Ratio, ac proinde voluptatem illam quæ ex constanti hujus obsequio oritur præstantissimam pariter ac jucundissimam esse necesse est. Andronic. Rhod. l. 10. cap. 9. Aristot. c. 7.

15. Neque hoc solùm, sed superaddendum est tertio loco, *hanc Virtutis vitam ac voluptatem omnium rerum esse divinissimam*, ità ut nesciat planè Anima quid ultrà quærat quando huc pervenit, nisi aliquid augurari velit ipsâ Divinitate perfectius aut beatius. Ipse Deus Creatura esse non potest; quatenus autem potest, per Virtutem fit, quæ Dei vita Divinâque quædam natu-

ra

ra meritò est habenda. Neque enim Creatura quatenus animal est, sed quatenus Dei imago est, prosequi potest id quod simpliciter optimum est, non quod sibi suóque appetitui gratissimum.

Rectissimè igitur super hac re pariter atque expositissimè philosophatur *Hierocles*, dum vitam voluptatémque quæ ex Virtute est Divinam prorsus agnoscit, concluditque; *Cùm igitur vita quæ est secundùm Virtutem, Divinam gerens similitudinem, revera Divina sit, quæ verò in Vitio sita est, Belluina & Athea; manifestum est quòd viri probi voluptas lætitiam imitetur Divinam, mentem Deúmque comitans, quódque improbi quæ dicitur voluptas motioni belluinæ ac stupidæ sit similis.* In Aurea Pythag. Carmina.

16. Quò spectat etiam illud apud eundem quod de *Ratione* ait, quæ *Virtutis* norma est: *Rectæ verò Rationi obsequi & Deo idem est. Nam Rationale genus propriæ illuminationis sufficienter Particeps ea vult quæ Lex statuit Divina. Animáque secundùm Deum dispositæ ejusdem sententiæ est cum Deo, & ad Divinum Numen Lumenque spectans facit quæ in datis circumstantiis ipse faceret Deus.* In Aurea Pythag. Carmina.

17. Multa hujusmodi occurrunt apud Scriptores antiquos, præcipuè verò apud *Marcum Antoninum Marcúmque Ciceronem*, quemadmodum abunde constat ex eis quæ suprà citavimus. Addam duntaxat breviusculum illud è primo de Legibus: *Virtus eodem in homine ac Deo est.* Quod cùm ità sit, quæ tandem potest esse inter eos propior certiórve cognatio? Ad Virtutis

Virtutis verò vitæque Divinæ voluptatem refertur quod alibi habet de præcepta cuique à Deo *Delphico suiipsius*, hoc est, animæ suæ, *cognitione*; ut ipsa scilicet mens se vitiis exutam cognoscat, conjunctámque cum Divina mente se sentiat, ex quo insatiabili gaudio compleatur. *Tusculan. Quæst. l. 5.*

18. Verùm nihil necesse est veterum suffragiis tam cumulatim ornare vel confirmare sententiam quæ (quod sæpius inculcavi,) ex ipsa natura vel definitione Virtutis satìs manifesta est. Nam quod simpliciter est optimum prosequi, non quod animali naturæ gratissimum, Divinum quiddam est, supráque animalem naturam collocatum. Quamobrem secundùm hoc Principium vivere, quod non solùm est *præstantissimum & Divinissimum eorum quæ in nobis sunt*, sed re verâ Divinissimum quiddam, ac proinde perfectissimum quod in naturam nostram cadere potest, suprema illa Voluptas meritò censeri debet, summúmve Bonum ac Finis ultimus in quo animam oportet tanquam in summa sua perfectione ac felicitate acquiescere.

19. Atque hæc sunt quæ accendere animos nostros debent atque inflammare ad studium Virtutis. Supersunt paucula quibus nosmetipsos in studio dirigamus. Quorum primum est Μὴ ἐκθόρνυσθαι· Μὴ ἀφαρπασθῆναι. Prius *Marci Antonini*, posterius *Epicteti*, monitum est. Utraque verò præcipiunt, *Ad nullum opus temerè & inconsultò exsilire vel rapi nos oportere.*

20. Alterum est, *Nunquam committere quicquam contra propriam Conscientiam*, sed eam in

in minimis juxtà ac maximis integram & intemeratam conſervare, conſtantérque obſervare præſtantiſſimum illud *Epicteti* præceptum, *Quicquid videtur optimum, id Lex eſto tibi inviolabilis.* Qui enim ſemel didicit majus bonum minori (etiam ſalvâ Conſcientiâ) poſthabere, verendum eſt nè tandem diſcat minus illud quod reliquum eſt bonum pari ratione abjicere, ſeque totum cœno ac ſordibus polluere. Nam pars boni quam priùs abjecerat æquè bonum erat ac reliquum illud quod mox eſt abjecturus. Opera igitur diligenter adhibenda eſt ut ab omni abhorreamus turpitudine. Nam præſens peccatum viam ſternit futuro, ſinguláque noſtra Admiſſa quaſi tot annuli ſunt ferreæ illius vel adamantinæ Catenæ, quâ tandem inextricabili Nequitiæ æterníſque tenebris innodabimur.

Enchirid. cap. 75.

21. Tertium eſt, *Ut in ſingulis que nobis occurrunt objectis exercitium Virtutis quæramus.* Quicquid enim fit, rectè fieri poteſt vel perperàm, decorè vel indecorè, juſtè vel injuſtè, cum ratione & modo, vel extra rationem modúmque. Semper igitur invigilandum eſt ac diligenter diſpiciendum, quomodo in unaquaque re id agamus quod maximè deceat.

22. Quartum eſt, *Ardentiſſimis precibus apud Deum contendere, ut ſufficientes nobis vires infundere dignetur ad Virtutis perfectionem aſſequendam.* Neminem enim mortalem pudere oportet tam divinum donum ab eo petere & accipere à quo & exſiſtentiam ſuam accepit. Imò verò audacter affirmare poſſim, eum qui

ſine

ſine ſinceris ad Deum precationibus Virtutem ſectatur nunquam illam poſſe aſſequi, ſed evanidam duntaxat aliquam illius umbram & inane imitamentum. *Nemo vir magnus ſine aliquo afflatu divino unquam fuit*, inquit Cicero. Nihil autem verâ vivâque Virtute majus aut excellentius eſt, quam propterea ſine Deo adipiſci prorſus eſt impoſſibile. *De Natura Deorum l. 2.*

23. Neque quiſquam mirari debet quòd *Preces* Morali Philoſophiæ adjungo, qui & *Pietatem* tanquam genuinam illius partem ipſi ſuprà adjunxi. Sed & Philoſophi ipſi eas olim illi adjunxerunt, *Epictetus*, *Plato*, *Antoninus*, aliique; præter cæteros verò *Hierocles* hiſce ferè verbis: *Neque enim oportet ſolummodo prompte aggredi quæ pulchra ſunt, tanquam ſi penès nos eſſet ſucceſſus abſque Divino auxilio; neque nudis petitionibus contentos eſſe, nihil ferentes ad acquiſitionem eorum quæ petuntur. Sic enim vel Virtutem atheam, ſi fas ſit ita loqui, reddemus, vel petitionem ineffi cacem. Quorum primum Atheum eam ſit, ipſam Virtutis tollit eſſentiam; alterum verò, quæ eſt ignavia, precum enervat efficaciam.* *In Aurea Pythag. Carmina.*

Sed forſan & alia quædam ſuperadjicere non abs re erit: ut illud *Socratis* apud *Xenophontem*, *Conari cum bonis Diis unumquodque opus incipere*; nec non illud *Ciceronis*, *A Diis immortalibus nobis agendi capienda ſunt primordia*; etiam *Platonis* illud in *Timæo*, *Ad quamcunque rem nos accingimus, ſive magnam, ſive parvam, oportet primo in loco invocare Deum*; poſtremóque egregium illud *Epicteti* de compeſcendorum affectuum ſtudio, *Certamen quidem magnum eſt, opuſque plane* Xenoph. l. de Adminiſtratione domeſtica. *De Legibus lib. 2.* Arrian. *Comment. lib. 2. c. 18.*

planè Divinum. Dei igitur meminerîs, eum invoca opitulatorem & auxiliatorem, quemadmodum Nautæ Dioscuros *cùm in tempestate navigant. Quæ enim major tempestas quàm quæ oritur ex imaginationibus violentis, ipsámque Rationem elidentibus?* Quo nihil dici potest ad rem nostram accommodatius.

Preces igitur fervidæ, quibus Virtutis fontem agnoscimus, laboribus nostris ac conatibus per quos ad Virtutem aspiramus, etiam ex Philosophorum sententia semper sunt adjungendæ.

24. *Preces* autem illæ hîc non maximè valent quæ exteriori quodam modo atque oratorio prolixiùs effunduntur, sed breviusculæ illæ ab intimo animo, meditationum vi ac pondere perculso, quæ crebrò emittuntur, quásque ab imis præcordiis profunda comitantur suspiria & vehementissimi erga Deum Virtutémque anhelitus. Hisce enim laboribus atque angoribus ventilamus & expurgamus sanguinem spirituſque, & pleniores in eos hauſtus puri aetheris transmittimus, quibus *corpus Luciferum* (quod & *tenue ac spirituale vehiculum Hierocles* appellitat) augemus & corroboramus, adeóque tandem cum his Deum ipsum quodammodo in animam nostram imbibimus & transfundimus.

25. Quintum & ultimum præceptum est illud *Pythagoricum*, quo monemur *singulis noctibus ante somnum recolere apud nosmetipsos quæ fecimus interdiu*; ut quæ rectè facta sunt, de eis gratias agamus Deo; quæ verò perperàm fecimus apud

apud conſcientiam noſtram ſeveriter reprehendamus, firmiſſque indies propoſitum animo infigamus & inſuramus omnia agendi juxta perfectiſſimam Virtutis normam.

Mollia nec prius obducat tua lumina ſomnus,
Exacti quàm ter reputâſti facta diei;
Quid lapſus feci? quid rectè? quid boni omiſi?

Cujus moniti obſervatio permagnam vim habet ad accuratiſſimam morum correctionem, & ad Virtutem omnimodam animis noſtris ingenerandam.

CAP. IV.

Quæ Virtutum Primitivarum acquiſitioni inſerviunt.

HActenus iſtiuſmodi documenta tradidimus quæ Virtutum acquiſitioni in genere inſerviunt; quæ certè tam efficacia ſunt, ſi quis eis uti velit, ut ſuperfluum videri poſſit ad ſpecies deſcendere. Ac proinde multò breviùs hîc agemus, & leviter duntaxat tangemus ſingula.

De *tribus* igitur *Virtutibus Primitivis* hoc tantùm moneo, vel potiùs repeto, Nullam omnino Virtutem abſque ipſis acquiri poſſe, nullam exerceri vel conſiſtere. Quod excitare in nobis debet omnem curam ac diligentiam, ut has *Primas* ſaltem *Virtutes* in ſolidum poſſideamus.

2. Quarum prima, *Prudentia*, quomodo acquirenda sit, vel ex ipsius definitione & explicatione Lib. 2. satis liquet. Quæ cùm tam latè patet quàm res agendæ & contemplandæ, ad primas obiter referemus illud *Marci Antonini*, Sect. 54. lib. 7. *Præsentem imaginationem curiosiùs inspectare, nequid subinsinuat minùs rectè perceptum.* Sect. 11. Quod explicatiùs indigitat lib. 3. eximio hoc præcepto; *Definitionem quandam & delineationem semper facere illius quod sub imaginationem cadit, ità ut quale sit secundùm essentiam, nudum, integrum, intiméque per partes divisum, dispicias.* Quæ proculdubio maxima *Prudentiæ* pars est. Ex hoc enim ut plurimùm frustrantur & falluntur homines in rebus aversandis amplectendísve, quòd eas nec nudas integrásque, nec per partes omnes perpendunt, sed externam tantùm speciem contuentur, partésve illas quæ primo aspectu gratæ sunt vel ingratæ, prætermissis reliquis: unde stulta admodum & temeraria fit ipsorum in rebus pensitandis computatio, dum, malè subductis calculis, Partes apud eos Integrorum vices obtinent, parémque illis valorem.

Oportet igitur, prout *Epictetus* eum monet qui *Olympia* vincere tam impensè cupit, *pensitare priùs quæ antecedunt quæque consequuntur, & postea ad opus se accingere*, cap. 35. Quò spectat etiam illud quod subsequenti capite occurrit; *Primùm, O homo, considera qualis res sit; deinde propriam tui ipsius Naturam perpende, si poteris ferre.* Quod nisi fecerimus, fieri vix potest quin plerumque nos incepti pœniteat, & per-

perpetuis Fortunæ ludificationibus defatigemur.

Ad hoc *Prudentiæ* genus referri etiam debet præstantissimum illud *Epicharmi* Monitum, *Esto sobrius, & memento diffidere: hi enim ipsi sunt Sapientiæ nervi.* Cui hoc affine est quod de nostro addimus, Non multùm credere Fortunæ aut hominibus, sed soli Deo Virtutíque confidere, qui mutari nesciunt. Homines verò brevi temporis intervallo etiam à seipsis dissident, mutántque voluntates & consilia.

3. Ad res autem contemplandas spectant hæc paucula, quæ Sapientiæ studiosum meminisse oportet. Cohibendum scilicet esse assensum donec rem clarè & distinctè intellexeris. Quod consimile est antè-dicto *Antonini* præcepto de rebus agundis.

Qualescunque res in seipsis sint, nullum eas in ratiociniis nostris locum habere debere ultrà quàm Animi facultatibus innotescunt.

Nullius rei intimam nudámve essentiam cognosci posse, sed attributa tantùm essentialia essentialésve habitudines.

Essentialia attributa immediatè competere Subjecto, nec rationem ullam Physicam peti debere, darive posse, cur insint.

Ideam cujusque rei consistere ex attributis quibusdam essentialibus.

Ad perfectam cujusque rei scientiam requiri ideam, sive notionem, non solùm claram & distinctam, sed plenam & adæquatam, quæ omnia attributa inseparabilia quæ ei competunt complectatur. Possumus enim vel de industria vel per incuriam subjectum concipere

ſine aliquibus eorum attributorum quæ te ipſi ſunt ab ipſo inſeparabilia. Quod mihi feciſſe videtur *Carteſius* in notione *Animæ humanæ*, dum eam ſolâ *cogitatione* definit.

Poſtremò, Animo nondum purgato diffidere, nec Magiſtris ullive Facultati fidem habere præterquam Rationi, Intellectui, (qui communium Notionum penus eſt,) ſolidæque Experientiæ.

4. *Sinceritatem* erga homines examinabis hâc trutinâ; Si eos eodem modo tractes quo ab eiſdem te tractari velis, memor illius dicti apud *Ciceronem*, Nihil eſſe unum uni tam ſimile, tam par, quàm omnes inter noſmet ſumus. Unde in eiſdem circumſtantiis eodem modo nos invicem tractare oportere manifeſtum eſt.

De Legibus lib. 1.

Erga Deum verò ac Virtutem *Sinceritas* tua patebit, ſi te tuáque omnia ità ipſis poſthabeas, ut animitùs cupias te lubenter poſſe libertatem, fortunas, vitámque ipſam, eorum gratiâ perdere. Quod quidem ſi percipias te ferre poſſe, agnoſcas te ad perfectam etiam perveniſſe *Patientiam*. Tam horrendum autem atque enorme crimen eſt noſmetipſos, qui tam viles reculæ ſumus, Deo Virtutíque præponere, ut ea ſola ratio ſufficere videatur ad pertrahendum nos ad hujuſmodi *Sinceritatis* ſtudium.

5. Nec minùs ſtrenuum ſuppetit pro *Patientia* argumentum. Juſtorum enim mortem, quam Virtutis Deíque causâ oppetunt, duplex excipit Immortalitas, Animæ una, altera Gloriæ.

Multum verò ad hanc Virtutem conferet, ſi quæ

quæ de viribus liberi Arbitrii augendis præcepimus, etiam hîc obſervemus; nempe, ſi in univerſum ab eis omnibus quæ corporeæ atque animali vitæ nimis grata ſunt datâ operâ abſtineamus, rebuſque aſperis ipſique ingratis conſtanti firmóque animo nos ingeramus, quatenus fieri poteſt per ſanitatem corporis morúmque urbanitattm. Nam ſi in hoc propoſito perſtiterimus, internas vires ſuprà quàm dici poteſt adaugebimus, eámque hilaritatem animi atque magnitudinem in nobiſmetipſis excitabimus, ut tandem deprehenderimus nos ad omnia præclara promptos & paratos evaſiſſe, nec tam amiſiſſe voluptatem quàm mutâſſe, dum animadvertemus Animam noſtram diſtinctè & ſeparatim à corpore ſuis propriis & domeſticis gaudiis, ex hujuſmodi Virtutis conſcientia perceptis, perfundi totam & impleri.

CAP. V.

De tribus Virtutibus Principalibus Derivativis acquirendis.

1. Quod ad *Virtutes Derivativas* Principales attinet, *Juſtitiam*, *Fortitudinem*, *Temperantiam*; *Juſtitiæ* pars præcipua, quæ *Pietas* dicitur, ingenuis animis faciliùs ingenerabitur, ſi conſiderent quàm rudis & agreſtis res eſt *Impietas*, quámque barbara & à bonis moribus aliena: Tantum ſcilicet Benefactorem præſen-

tes præſentem non agnoſcere, nec honorificè ſalutare, nec de innumeris illis beneficiis quibus nos quotidie cumulat ipſi ſolennes gratias agere. Quod igitur quemvis bene moratum hominem adversùs homines commiſiſſe puderet, non te pudebit illud committere adversùs Deum?

Hoc unicum igitur animos generoſiores ad *Pietatem* maximoperè ſtimulare debet: Cæteros verò mortales, quòd negligendo hujuſmodi erga Deum officia favorem illius atque gratiam perdent, Divinæque Nemeſi ſe reddent obnoxios. Ad univerſos autem ſpectat ut meminerint ità inhærendum eſſe externo Dei cultui, ut internus, qui ipſi omnium gratiſſimus eſt, nullo modo negligatur.

2. Internum autem hunc cultum *Dei imitationem* eſſe * ſuprà inſinuavi. Quam quidem ſententiam mirificè ornant atque illuſtrant *Pythagorica* illa apud *Hieroclem* verè aurea. *Deum optimè coles, ſi mentem tuam Deo ſimilem efficis. Quod enim quis amat, id quantum poteſt imitatur.* Et paulò pòſt; *Oblatorum ſumptuoſitas non eſt Dei honor, niſi Divino cum ſenſu offerantur. Stultorum enim oblationes & ſacrificia ignis ſunt alimentum, ſacráque eorum donaria ſuppeditata ſacrilegis præda.* Et quod ad *Templa* attinet, breve illud Oraculum effundit, *Purgatâ Animâ non eſt Deo aptior locus in terris.* Cui & ipſum *Pythium* ſuccinere facit illo verſiculo,

Æquè animis ſanctis atque ipſo ego lætor Olympo.

3. Sed nec illud omittemus quod paulò ſuprà fuſiùs & ornatiùs depromit: *Solus ſapiens Sa-*

* *Lib. 2. cap. 5.*

Sacerdos, ſolus Deo charus, ſolus qui ſcit precari. Solus enim ille novit ritè colere Deum qui Divinam nactus eſt ſcientiam, quique ſeipſum præcipuè offert in ſacrificium, ſuámque Animam in ſtatuam fabricatur Divinam, Mentémque pro Templo præparat ad Divini luminis ſuſceptionem. Quem verò hîc *Hierocles ſapientem*, *Ariſtoteles prudentem* appellat. Uterque autem re ipsâ idem eſt ac σπουδαῖος, ſive *Virtute præditus*. Vera enim & ad perfectionem perducta Virtus, quæ Dei imago eſt, optimus illius eſt cultus, ſed qui cum legitimis Religionis ritibus nunquam digladiatur.

4. Altera pars *Juſtitiæ*, quæ *Probitas*, & vulgò *Juſtitia*, ſed ſtrictiori ſenſu, appellatur, ſummopere ab hominibus piis coli debet, cùm & ipſa ſit Pietatis pars non contemnenda, ut quæ Virtutis pars eſt præcipua, quem optimum eſſe Dei cultum *ſuprà demonſtravimus. Sed & ab omnibus ſacroſancta habenda eſt, omníque ab eis curâ ac diligentiâ tuenda, quòd tam neceſſarium ſit humanæ ſocietatis vinculum, rerúmque humanarum, atque adeò totius ferè mundi, fulcrum & columna, ſine qua omnia fatiſcerent & ruinas agerent.

* *Lib. 2. cap. 5.*

Ecquem igitur eò veſaniæ prorumpere unquam deceret, ut contra tam ſacroſanctam Virtutem peccet, quò & ipſa mundi fundamenta ſuffodere, totámque vitam humanam confundere, meritò velle videretur?

5. Ità tamen quenquam juſtum eſſe, ut ſolummodo intra humanarum legum limites ſe contineat, *Calliditatis* eſt potiùs quàm veræ *Juſtitiæ*. Neque enim qui hoc facit tam utilitati pub-

publicæ consulit quàm suæ; quæ nulla *Justitiæ* pars est, (quod bonum est alienum,) sed propriî amoris effectus: Cui, demptis legibus, hæc larvata bellua tam effræni impetu indulgeret, ut qui modò ex lege vir bonus videri poterat, statim sè proderet nequissimum turpissimumque nebulonem. Qui igitur re verâ justus esse velit, non credat se jam esse, nisi ità se fore etiam remotis legibus certò præceperit.

6. De *Fortitudine* & *Temperantia* hîc repeti possint quæ suprà attulimus de *Patientia*. Hasce *Hierocles* appellat *adamantinas Animæ custodes*, quibus remotis; illa continuò proditur omni turpitudini ac calamitati.

In Aurea Pythag. Carm.

Quàm necessaria *Fortitudo* sit, maximè elucescit ex præclara illa *Andronici* sententia: Quædam nempe ità inhonesta esse, ut omnis sit præcisa agenti excusatio; *sed debeat homo totis viribus ea declinare, quamvis ob idipsum mox trucidandus esset gravissima prius omnia perpessus.*

Lib. 3. c. 1.

Nullum igitur argumentum majus excogitari potest quo moveamur ad incumbendum omni studio *Fortitudini* acquirendæ, quàm quòd, si hâc Virtute destituamur, in aliorum potestate situm erit per summarum injuriarum comminationem sceleratos nos efficere atque impios. Quâ quidem servitute nulla turpior esse potest aut miserior, nec quicquam quod ingenuum animum magis aspero atque ingrato sensu pungat & lancinet, quàm sibi esse conscium, si quando magni alicujus mali terror immineat, se Virtutis ac Veritatis desertorem futurum esse ac proditorem.

7. Ab

7. Ab *Intemperantia* nos deterrere debet vel ipsum Voluptatis dedecus. Quàm vilis enim res est & abjecta, nos, cùm homines simus, ex amore Voluptatis animalcula quasi quædam εὐβοϊκὰ fieri, & tam certò voluptatum illecebris inescari quàm hamo pisces; atque hisce technis captos, cupiditatibus nostris, ut feræ catenis, eò pertrahi quò impurus quivis & versutus nebulo nos seducere velit? Nam Voluptas, quæ demulcet sensum, mentem de sua sede & statu dimovet, omnéque illius lumen extinguit, vires denique animi frangit; fidelémque illam custodem, sine qua nulla Virtus tuta esse potest, *Fortitudinem* ipsam, adinstar rabidæ cujusdam ac virosæ meretricis, impudenter adoritur miséreque trucidat. Adeò ut nihil æquè verum sit ac tritum illud *Ciceronis*, *In Voluptatis regno nullum omnino esse posse hominibus cum Virtute commercium.* *De Senectute.*

8. Imò & ipsius corporis vires labefactat, & horrendos superinducit morbos; ità ut etiam corporis sanitatis gratiâ sedulò danda sit opera *Temperantiæ*: quanquam hic non sit legitimus illius modus & mensura, sed tam animi quàm corporis valetudo. Nam in robusto & bene-saginato corpore animi vires faciliùs extinguuntur.

9. Ità igitur *Temperantiæ* studendum est, ut non tam excrescat terrena corporis moles, quàm peritè probéque consulatur spirituum puritati & copiæ; juxta illud *Zoroastris* Oraculum, *Spiritum, nè contaminato, nec incrassato superficiem*; quod idem est quod *tenue vehiculum & corpus imma-*

immateriale apud *Hieroclem.* Hæc igitur *Temperantiæ* ſumma eſt, *Peritè ſervare organum, & ad uſus Philoſophicos ritè adaptare*; quemadmodum monet ille.

Hierocles in Aurea Pythag. Carmina.

10. Hæc eſt illa perfecta & philoſophica *Temperantia*, ſi ità curentur corporis moles atque vires, ut optimarum rerum ſenſus ab ipſis interim non extinguatur, nec increſcat nimis internus Spiritus, quem *Hierocles Spirituale vehiculum* appellat; ex quo cum ipſa Anima *Internus* noſter *homo* conferi apud ipſum videtur. De cujus igitur cultu & purificatione eundem ex *Pythagoricis* oraculis paulò uberiùs diſſerentem operæ pretium erit audire. *Oportet enim*, inquit ille, *cum Virtutis exercitatione & Veritatis recuperatione atque puritatis, curam earum rerum gerere quæ ad corpus attinent Luciforme, quod & tenue Animæ vehiculum Oracula appellitant. Extenditur autem hæc purificatio uſque ad cibos potúſque & ad victum univerſum corporis noſtri mortalis, in quo jacet Luciformis, inſpirans inanimi corpori vitam, ipſiúſque compagem conſervans. Eſt enim corpus immateriale Vita, vitámque ingenerans materialem, per quam mortale noſtrum corpus completur ex irrationali vita & materiali corpore conſiſtens, adeóque Simulachrum exſiſtens Interni Hominis, qui ex ſubſtantia rationali & immateriali corpore conſtituitur.*

In Aurea Pythag. Carmina.

11. Quibus innuit, ità nos Externum hominem, hoc eſt, molem hanc corpoream, curare oportere, ut interim nulla Interno fiat injuria, ſed rationem atque modum Cibi & Potûs, & reliquorum quæ ad mortale hoc corpus pertinent, peti

peti debere ab incolumitate Interioris hominis, ut tenue illud lucidúmque Animæ indumentum non incraſſeſcat nimis nec obſcuretur, ſed purificetur & liberetur ab omni turpi ac ſervili conſenſu cum hac caduca machina. Quemadmodum paulò infrà monet; *Verùm quandoquidem Luciformi noſtro corpori agnatum eſt alterum corpus mortale, purificare illud oportet, & à conſenſu cùm hoc altero quantum poſſumus liberare.*

12. Imò verò huc collineare videtur omnis omnino ipſius animæ purgatio & purificatio, omníſque adeò Virtutis ratio, ut Interioris hominis puritas conſervetur ac vigor, prout paulò pòſt aliquantò fuſiùs & copioſiùs nos edocet optimus ille *Pythagoricæ* Sapientiæ Interpres *Hierocles: Rationalis verò Animæ purgationes vehiculo etiam luciformi proſpiciunt, nempe ut hoc ipſis alatum penniferúmve factum ſupernum Animæ curſum nullo modo impediat. Optima verò illius pennarum emiſſio* (ſuprà enim Divinum omnem atque humanum animum *concretæ Potentiæ alati currûs atque Aurigæ* ex *Platone* comparaverat) *eſt, deceſſum à rebus terrenis paulatim meditari, & noſmetipſos aſſuefacere Immaterialitati, omnéſque ſordes deponere quibus Luciforme corpus coinquinari poſſit ex conjunctione ſua cum corpore materiali. Sic enim reviviſcit quodammodo, viréſque colligit, Divinóque vigore impletur, & Intellectuali denique Animæ perfectioni connectitur.* Tantum illa per Virtutem purificatio poteſt ad reſuſcitandum, recolligendum, & Divino quodam robore implendum, intimum illud & ſubtiliſſimum (quod & ipſum perpetuæ immortalitatis conſors eſt) mentis noſtræ vehiculum.

13. Magna

13. Magna sanè sunt hæc atque præclara *Hieroclis* documenta, quibus monemur *Temperantiæ* saltem Philosophicæ quasi apicem esse, *Luciformis curationem puritati animæ congruam præstare:* Ut interior homo crassiorum voluptatum sensu non contaminetur, nec in consensum cum caduci hujus corporis falsis & furibundis gaudiis nimis impotenter & serviliter rapiatur; sed ut cognatum suum corpus, sive Luciforme vehiculum, purum & intemeratum conservet ab omni terrena immunditie.

14. Quod id ipsum est quod tandem adjungit ille à me toties laudatus Interpres, super isthoc versiculo Pythagorico,

——————*Tum singula pensa*
Aurigam mentem statuens ex parte superna.

Quem ad hunc modum explicat: *Mentem quidem, ut quæ rationalis est potentia; Aurigam verò, ut quæ corpus apprehendit regitque. Oculus verò amatorius super Aurigam collocatur. Anima enim tametsi una sit, oculo tamen quasi quodam circumspicit per Veritatis campum; & facultate alterâ, manni quidem haud dissimili, cognatum suum corpus* (quod est Luciforme) *cohibet, & ad seipsam constringit, ut tota ad Deum spectet, Divinámque possideat similitudinem.* Quâ quidem nulla aptior perfectæ illius & Philosophicæ sive *Temperantiæ* sive *Continentiæ* potest esse descriptio, quæ nullas Corporis voluptates sinit in interiorem hominem penetrare, Animámque facit quasi strictis loris cohibere consensum ab omni oblectatione quæ diviniora illa gaudia, quæ ex sensu Dei Virtutísque oriuntur,

tur, quovis modo lædat vel obſcuret. Qui certè ſummus & perfectiſſimus eſt *Temperantiæ* ſcopus & menſura.

15. A quo quàm longè abſunt illi qui nondum ab illicita aut immoderata Venere fœdâve Ebrietate & Ingluvie abſtinent, ipſi apud ſeipſos perpendant; ſerióque eos pudeat, cùm deorum immortalium vitam quodammodo adæquare potuiſſent, in turpiſſima abjectiſſimáque pecora degenerâſſe. An non multò igitur præſtaret vel duriſſimam quamvis vivendi rationem inire, veterémque ferme ἄσκησιν denuo imitari, quàm ex iſtiuſmodi luxu & mollitie Virtutis rerúmque optimarum ſenſum extinguere, fidiſſimámque Virtutum omnium cuſtodem, ipſam tandem *animi Fortitudinem*, perdere? Sed de *Primitivarum* Virtutum pariter ac *Derivativarum* Principalium acquiſitione hæc breviter dicta ſunto.

CAP. VI.

De Virtutibus Reductitiis acquirendis; primóque de eis quæ reducuntur ad Juſtitiam.

1. INter *Virtutes Reductitias* præcipuè emicant illæ quæ ad *Juſtitiam* referuntur. Cujuſmodi fuerunt *Liberalitas*, *Magnificentia*, *Veracitas*, *Fidelitas*, *Gratitudo*, *Candor*, *Urbanitas*, *Ve-*

Verecundia, *Humanitas*, *Hospitalitas*, *Amicitia*, *Comitas*, *Affabilitas*, & *Officiositas*.

Liberalitas autem non est negligenda, quòd eâ testamur nos non tam angusti & contracti animi esse quàm mirari pecunias, nec tam stupidi, ut nesciamus earum fines atque usus.

Magnificentiam commendant sua opera, quòd Publico prosunt, Mundúmque ornant & Historiam.

2. *Veracitas* autem omni studio amplectenda est, nisi quis videri velit ambulatorium quoddam *Mendacium* larvatúsve Impostor, μορμολυκεῖον aliquod & terriculamentum humani generis, à quo meritò omnes sibi metuant tanquam ab occulta aliqua subtilíve peste ac veneno, vel à cooperta fovea quâ insidiæ struuntur incauto viatori; tanquam à muto Spectro, quod tamen vitam humanam variis miscet turbis & frustrationibus, multísque eam involvit laboribus & ambagibus quibus honesta hominum industria eluditur & defatigatur.

Hanc *Fraudem* & Calliditatem *Prudentiam* quidam appellari malunt, speciosum titulum Vitiorum pessimo obtendentes, à quo Virtutum verarum cœtus non minùs abhorret quàm honestæ & pudicæ Matronæ à putidissimæ meretricis consortio. Alii sibi in hoc vitio applaudunt tanquam in selectiori quodam ingenii & acuminis specimine: Quasi verò quisquam ità natus sit stupidus, ut per mendacia & hypocrisin fallere non possit, si velit. Qui non potest fallere cùm velit, oportet eum profectò esse ingenii omnium tardissimi; qui autem vult cùm possit,

possit, viliſſimi abjectiſſimique; qui verò cùm possit non vult, is demum magno animo est atque excelso, verámque solus spirat *Prudentiam* & *Generositatem*, qui & feliciſſimos ut plurimùm rerum suarum exitus invenit, dum Hypocritæ & versipelles homines in summa tandem incidunt dedecora & infortunia. Ficta enim omnia celeriter tanquam flosculi decidunt, nec simulatum potest quicquam esse diuturnum.

Fidelitas summopere colenda est, cùm sine ipsa vix stare possit humana societas, cúmque tam conspicua *Justitiæ* pars sit servare promissa, & depositum reddere.

Unde etiam dispicere possumus quantopere obligamur ad colendam *Gratitudinem*; cùm omne officium gratuitum sit quasi depositum quoddam, quod qui non reddit cùm possit, summæ videtur reus infidelitatis. Imò verò tam præclara *Justitiæ* pars est *Gratitudo*, ut qui hanc violare ausit, minimè dubitandum sit quin, si per Leges tutò posset, reliquas omnes *Justitiæ* partes non incunctanter violaret. Quæ certè ratio quemvis ingenuum animum ità percellere debet, ut à nullo ferè flagitio æquè abhorrendum esse censeat atque ab hoc turpiſſimo monstro *Ingratitudinis*.

3. Ad *Candorem* adhibendum in congressu nostro cum hominibus hæc permovere nos debent: Nempe, tum quòd plerique omnes, si quid peccent, per ignorantiam peccant; nec tamen ità peccant quin plerumque etiam in his erroribus aliquid verum bonúmque par-

turiat eorum animus, cui proinde nos obstetricare debemus, candidè & benignè excipiendo singula, & in eum sensum interpretando qui maximè laudabilis est, aut saltem tolerabilis: tum etiam quòd paci animorúmque agglutinationi, quâ nihil inter homines optabilius est, hâc ratione optimè consulimus.

4. Nec ab *Urbanitate* ità nos alienos esse oportet, ut, cùm ipsi jocari nesciamus, alios, quantumvis non invenustè jocantes, audire ferréque nolimus. Est enim humanæ vitæ condimentum laborúmque pergrata relaxatio jocandi dexteritas. Quanquam enim ità à Natura generati non sumus ut ad ludum & jocum facti esse videamur; uti tamen illis licet, sed sicut somno & quietibus cæteris, tum cùm gravibus seriísque rebus satisfecerimus.

Ad hunc sensum *Cicero* in *Officiis*; qui, cùm duplex jocandi genus statuit, unum illiberale petulans, flagitiosum, obscœnum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum, de hoc posteriori genere omnino est intelligendus. Cujus tamen sales siquando risum movent & cachinnos, is qui perstringitur, modò probus sit, non tam leviusculis suis vitiis vel defectibus insultari putare debet, quàm virtutibus applaudi juxta ea quæ tradidimus *de Passionum Interpretatione*. Quòd si fortè quis improbus mordaciter uritur, expurgare debet animo materiam cui Joci aculeus infigitur.

Lib. 1. cap. 11. sect. 2, 3.

5. *Verecundia* in singulis nostris actionibus servanda est, quòd quasi apex & flos sit *Justitiæ* summáque illius perfectio; quemadmodum su-

prà fusiùs docuimus, neque opus est eadem hîc repetere. *Lib. 2. cap. 8. sect. 11.*

Humanitas verò præter cæteras Virtutes præcipuè est colenda. Omnes enim communi cognationis & æqualitatis quodammodo vinculo continemur; nec censendus est homo homini multò præstare, cùm ex æquo universi Mortis & Immortalitatis, Passionum & Rationis, participes sumus. Qui igitur alterum despicit, contemnit, negligit, minúsve humaniter tractat, Naturæ humanæ jura perdidisse videtur & privilegia, palámque contra seipsum sententiam tulisse, parùm utique referre, si ipse in eisdem circumstantiis eodem tractaretur modo. Cùm enim homo sit, si immunitatem aliquam hîc sibi præ cæteris reservari vellet, stolida profectò hæc esset & ridicula animi elatio & arrogantia.

Nemo igitur, quantumvis tenui sit fortunâ, contemni debet aut contumeliosè tractari, modò vir probus sit, nec propriâ culpâ humanæ Naturæ jura perdiderit. *Introite, etiam hîc dii sunt,* inquit *Heraclitus.* Quod de pauperrimi cujusvis pectore, modò probus sit, verissimum esse censendum est: Quem proinde, ex communibus humanæ naturæ privilegiis, tanquam sanctum quoddam ac divinum Animal, debito amore & observantiâ semper excipere debemus.

6. *Hospitalitati* autem commendandæ multùm insudare nihil opus est, cùm sit tam manifesta pars *Humanitatis:* eò verò magis necessaria, quò magis sint Incolarum injuriis expositi peregrini, magísque domesticis commodis &

ſubſidiis deſtituti. Hoſce igitur perquam humaniter tractare debemus, ipſorúmque commodis ubi opus eſt, diligenter inſervire; non immemores quòd beati Genii etiam nobis in hac Animarum noſtrarum peregrinatione in ſummis difficultatibus & anguſtiis maturè ſuccurrunt ſedulóque opitulantur.

7. Porrò, quod ad *Amicitias* attinet, petendæ quidem ſunt illæ tanquam communia humanæ vitæ ornamenta & præſidia. Quòd ſi fortè in eos incidas qui valde diligi mereantur, memineris animum adjicere Virtutibus potiùs quàm perſonis, quæ mortales ſunt & mutabiles; neque tam affectûs vehementiâ aut inerti quodam paſſionis dulcore (qui miras in te tragœdias excitare poterunt) *Amicitiæ* partes expleri cenſeas, quàm ſincerâ fide & conſtantiâ atque alacri quadam & officiosâ benignitate erga eos quos amas.

8. Denique *Comitas*, *Affabilitas* & *Officioſitas* colendæ ſunt tanquam benevolentiæ conciliatrices optimæ, mutuæque pacis & amicitiæ conſervatrices. Unde valde inconſultum eſſet ſi quis minores iſtas Virtutes negligeret, cùm favorem hominum, qui maximi tum ad jucunditatem vitæ tum ad ſecuritatem momenti ſint, rebus tam parvis leviculiſque poſſit demereri

CAP.

CAP. VII.

De Virtutum acquisitione quæ ad Fortitudinem reducuntur.

1. VIrtutes quæ ad *Fortitudinem* reducuntur sunt *Magnanimitas*, *Generositas*, *Lenitas*, *Constantia*, & *Diligentia*; item, *Vivacitas*, *Animi præsentia*, *Strenuitas*, & *Virilitas*.

Magnanimitatem commendat, quòd animum in multa ac minuta non distrahat, sed ad optima maximáque, quæ pauca sunt, aspirare faciat; quódque humanæ naturæ præstantiam rectè æstimare nôrit, nec eâ abuti velit ad minima quæque ac vilissima prosequenda. Cùm igitur nihil majus sit vel excellentius Deo ac Virtute, in hisce colendis mentem nostram ac voluntatem corroborat & statuminat, nec ad vulgaria objecta diffluere finit & evagari.

Hoc etiam commune habet hæc Virtus cum *Magnificentia*, quòd ipsius præclara facinora Publico præcipuè prosint, Mundíque secula ornent & Historiam.

2. *Generositatis* verò utilitas & perfectio ex eo eluceſcit, quòd quis per eam solâ Virtutis veræque Beatitudinis conscientiâ contentus sit, absque hominum plausu & suffragiis; quódque nil non sincerè faciat, aut in gloriolarum inane aucupium; nec Veritatem Virtutémque deserere velit, quantumvis omnium

nium mortalium odia & contumelias in se excitaret.

Quanquam enim aliquid possunt ignominiæ metus famæque ac gloriæ cupiditas in Virtute acquirenda; cùm tamen semel acquisita sit, nihil magis istis opus est quàm illâ lignorum structurâ quâ in exstruendis ædibus utimur, quæ, postquam ædificium exstructum est, diruere solemus, & postmodum comburere.

3. Maximopere igitur colenda est hæc Virtus tanquam reliquarum fidelissima custos & conservatrix; præsertim verò ab eis juvenibus quos Natura ad Virtutem propensiores finxit, qui tamen contumeliarum metu à sociis in ipsos intorquendarum ad turpes actiones vel inviti sæpenumerò pertrahuntur. Nôrint itaque illi summæ esse *Generositatis*, Virtutis causâ quaslibet sociorum contumelias & dicteria ferre simul & contemnere; nec pudoris esse, sed pusillanimitatis, eis morem gerere qui ea suadent quæ ipsi inhonesta illicitáve esse suspicantur. *Pythagorámque* potiùs audiant hoc in loco,

——*Summè reverere teipsum*,

quàm tam importunos & impudentes rerum pessimarum suasores.

4. Quin & *Lenitas* vel eo nomine maximi facienda est, quòd inexpugnabilis quasi quædam Arx sit contra omnes omnium hominum injurias & opprobria. Quod etiam notavit *Marcus Antoninus* in præclara illa sententia; *Invincibilis quædam res est Mansuetudo*, sive *Lenitas*, *modò genuina sit*, *nec cum subrisorio quo-*

Τῶν εἰς ἑαυτὸν lib. 10. sect. 18.

dam

dam riclu conjuncta, nec personata. Nullum igitur fortius munimentum est ad conservandam animi nostri pacem & tranquillitatem quàm hæc *Lenitas* vel *Mansuetudo*; nec ullum illius fulcrum firmius, quàm si meminerimus omnes per ignorantiam peccare, sive dictis nos lædant sive factis. Quò spectant *Stoica* illa & *Socratica*, *Sic ille opinatur*, &, *Omnis improbus ignorat.*

5. *Constantiam* autem tueri debemus, nè fortuitò & sine ratione agere, nullámque omnino Virtutem habere, videamur.

———*Semper, qui bonus est, bonus est.*

Qui verò nunc bonus, nunc malus est, incertis quibusdam & corporeis auris hàc atque illàc fortuitò vehi impellíve potiùs existimandus est, quàm immutabilibus Virtutis rectæque Rationis principiis regi.

6. *Diligentia* denique colenda est, tanquam cæterarum Virtutum sedula quædam atque alacris famula ac ministra; vel potiùs tanquam externarum nostrarum actionum immediata moderatrix ac domina, quæ corporeæ hujus molis membra, quantumvis torpentia & languida, ciere novit ad debita vitæ officia obeunda.

7. Reliquæ Virtutes quæ ad *Fortitudinem* reducuntur tam arctam habent cum hisce de quibus jam egimus affinitatem, ut novis argumentis non sit opus quibus ad eas amplectendas moveamur: Ipsæ enim sunt vel *Diligentiæ*, vel *Constantiæ*, vel *Magnanimitatis* quædam quasi propagines.

modi rerum haud ità gnarus, eam mihi visus sit ignorâsse, sed & admodum graphicè illam depinxisse his versiculis:

Sed nil dulcius est bene quàm munita tenere
Edita doctrinâ Sapientum templa serena;
Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare atque viam palantes quærere vitæ,
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes atque dies niti præstante labore
Ad summas emergere opes rerumque potiri.
O miseras hominum mentes! ô pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ quantisque periclis
Degitur hoc ævi quodcunque est! &c.

Qui sic sapiunt, sat scio, à vulgari & idiotico hominum genere contemnuntur ferè & irridenrur, tanquam aërea quædam Animalcula quæ auras captant & inani vescuntur æthere, hoc est, quæ leviusculis rerum umbris evanidisque imaginationibus indulgent, sensu verò rerum solidâque substantiâ prorsus privantur.

7. Sed bonos hosce viros obsecro mihi narrent, qua in re Potentes illi atque Divites Naturæ donis magis solidè fruuntur quàm isti qui, tametsi necessaria ad victum ipsis non desint, tenuiori tamen utuntur fortunâ. Num sapidiùs & jucundiùs edunt vel bibunt quàm pauperiores illi qui honestis laboribus diem terunt, & sudoribus addunt temperantiam? Num altiùs illis profundiúsve dormiunt, aut firmiori animi corporisque utuntur valetudine? Quòd si nihil horum fit, an non ipsi Potentes atque Divites æquè imaginationibus indulgent ac qui Virtuti veræque Sapientiæ sunt dediti? Qui

si

ſi rectè exiſtimantur auras captare & inani veſci æthere, magni ſanè illi viri atque opulenti potiori jure ex ſuperfluis ſuis divitiis & honoribus nihil præter fumos, vapores, pinguioréſque quaſdam fuligines, haurire cenſendi ſunt. Utrùm verò præſtet puriori aëre veſci an craſſo & fuliginoſo, diſcutiendum aliis per otium relinquo.

Si ventri bene, ſi lateri eſt pedibúſque tuis, nil Divitiæ poterunt regales addere majus. Horat. Epiſt. lib. 1. epiſt. 12.

Quòd ſi corporis functionibus & commoditatibus pares ſunt præpotentes illi, & pauperes, quibus tamen interim ad vitam neceſſaria non deſunt; ſupereſt ut ſolis animi cogitationibus & phantaſmatis differant. Utri verò pulchriores habituri ſint præſtantioréſque animi cogitationes ſive phantaſmata, illíne qui ſuperfluis opibus & honoribus inhiant, an hi qui Virtuti veræque Sapientiæ totos ſe dedunt, nemini, opinor, difficile eſſe poteſt augurari.

8. Poſtremò, ut in nihilo deficiat hæc noſtra Paræneſis, etiam de *Divino illo Amore atque Intellectuali* ſuperaddimus, quòd omnibus nervis eniti debeamus ad eum adipiſcendum, tanquam primam & perfectiſſimam omnium Virtutum menſuram atque normam; quam præſentem ſemper nos habere oportet & quaſi antè oculos poſitam, ut ab hoc Divino exemplari omnium noſtrarum actionum modos rationéſque deducamus.

Hujus autem Diviniſſimæ perfectionis, & quâ nulla major in naturam humanam cadere poteſt, Procreatrices præcipuæ & Conſervatrices

ſunt

sunt *Humilitas* & *Temperantia.* Voluptates verò corporis Divinum hunc animi sensum extinguunt, quemadmodum etiam facit effrænis illa Divitiarum & Honorum cupiditas. Animâ enim contractâ in sordidos hosce cæcósque ardores, libera illa & cœlestis flamma continuò suffocatur. Unde necesse est hominem obductis hisce tenebris in varia turpitudinis atque injustitiæ genera prolabi.

Si vis igitur *Divinum illum Amorem* adinstar ignis cujusdam Vestalis in Templo Cordis tui perpetuò splendere & ardescere, sedulò tibi danda est opera *Temperantiæ* & *Humilitati.*

9. Quòd si nondum tibi eluxerit, ardentibus ad Deum precibus cœlestem hunc ignem in Anima tua accende: memor interim, quòd solis verbis votísque parùm proficies; quódque, dum ad hanc internam vitam ferventissimo voto atque affectu anhelas, externis moribus, quantum poteris, eam debes imitari. Quod spero te facturum cum successu, si pauca hæc monita ritè observaveris.

A Voluptatum igitur illecebris diligenter tibi caveto. Nihil per odium vel invidiam contra quenquam patrato. Pauperes pro facultatibus tuis sublevato & foveto. Iram contra hominum injurias & contumelias strenuè comprimito. Humilis & abjectæ fortunæ homines nè petulanter conculcato; quin & Paupertati probæ aliqualem honorem & observantiam deberi censeto. Malum bono compensato, & amarulenta dicta blandis & benignis alloquiis diluito. De inimicis tuis nè tum quidem cùm

securè

ſecurè poteris vindictam ſumito: nec tamen ità amicitiam cum quoquam cole, ut Virtutem Veritatémque illius causâ deſeras, publicámve ei poſtponas utilitatem: hoc eſt, Non quod tibi ipſi vel cuivis alteri, quantumvis amiciſſimo, ex animali ſenſu adlubeſcat, ſed quod propria Conſcientia ſimpliciter & abſolutè optimum judicaverit, ſummâ fide & conſtantiâ proſequere.

10. Atque hæc ſunt quæ dicenda cenſuimus *de Virtutum acquiſitione* tam in ſpecie quàm in genere. Totam jam tandem documentorum ſeriem brevi illâ *Pythagoricâ* hortatiunculâ claudemus: *His operare, hæc meditare, hæc omni ſtudio atque curâ amplectere: Hæc enim pedes tuos in Divinis Virtutis ſemitis ità demum firmabunt, ut nunquam eos ſinant aut vacillare aut labi.* Quæ quidem Virtutis perfectio humanæ Felicitatis pars longè maxima eſt & principaliſſima. Solùm ſupereſt ut de illius tandem partis acquiſitione quæ in *Bonis Externis* conſiſtit breviter agamus.

CAP. IX.

De acquiſitione Bonorum Externorum.

1. Quantilla pars *Bonorum Externorum* ad humanam Beatitudinem requiritur, ſatis ſuprà indicavimus. Reſtat jam ut breviter evincamus, ſi vel ex illorum omnium quæ diximus *Bonorum externorum* accumulatione hu-

humana Felicitas aliquo modo perfectior videri possit & consummatior, quòd *Virtutes morales* non mediocrem vim habeant ad eorundem etiam omnium acquisitionem.

2. Præcipuas igitur eorum species recensebimus denuo, perpetuóque indigitabimus quantam vim habent ex Virtutibus aliquæ, si non omnes, aut ad *illa ipsa Bona* acquirenda, aut saltem quæ ipsis *analoga* sunt, & quæ *præstantiora* tamen eis rectiùs existimare poteris quàm *succedanea*.

3. Cæterùm quod ad duas primas ipsorum classes attinet, *Bona* utique illa *Animæ* atque *Corporis*, manifestum est permagnam vim habere Virtutem ad ea ipsa *in specie* adipiscenda, vel saltem augenda & conservanda. Quod primò liquere potest de Bonis eis externis quæ *ad Animam* referuntur; qualia sunt *Ingenii dexteritas & subtilitas*, *Memoriæ fidelitas & comprehensio*, item *Scientia*, *Ars*, & *Sapientia*.

Ecquid enim *Ingenium* acuere magis potest subtiliúsve reddere quàm Philosophica illa quam suprà descripsimus *Temperantia*? Cùm è contrà vel optimum subtilissimúmque ingenium ex Ebrietate & Ingluvie turpíque voluptate obtusum torpidúmque evadat.

4. Eadémque prorsus ratio est de *Memoria*, cujus vires proculdubio mirum in modum conservat confirmátque *Sobrietas* & *Temperantia*; Exercitatio autem adauget, quæ fructus est Industriæ & Diligentiæ: Cùm interim nihil magis illam facultatem labefactet quàm Ebrietas, Venúsque immoderata, quàm Somnolentia denique, & Desidia.

5. *Artes*

5. *Artes Mechanicas* Virtus quidem non docet Moralísve Philoſophia; nec ſanè *Scientias Phyſicas Mathematicáſve*: verùm nè parùm contribuere videatur Virtus ad eas omnes ediſcendas, ex prædictis ſatis conſtat eam conferre & *Ingenii ſubtilitatem* & *Memoriam*. Quibus *Diligentiam* addas, &, quâ Mathematica præſertim ſtudia carere non poſſunt, *Manſuetudinem quandam animi & Patientiam*.

6. Summum verò diviniſſimúmque Moralis Philoſophiæ donum habenda eſt illa quam adeò accuratè ſuprà deſcripſimus *Prudentia*, quæ quidem cùm ad omnes Intellectuales habitus acquirendos permagnam vim habet, tum ad *Sapientiæ* acquiſitionem, omnium ſanè maximam. Cui tamen tanquam individua quædam comes adjuncta ſemper intelligitur illa quam modò dixi *Philoſophica Temperantia*.

Fruſtrà enim ad *rerum Divinarum cognitionem* aſpirat, quæ propriè *Sapientia* dicitur, qui hiſce duabus Virtutibus deſtituitur. *Impuro enim fas non eſt quod purum eſt attingere*, quemadmodum præclarè nos docet in *Phædone Plato*: Qui cùm inibi contendat neminem nondùm exuto corpore ad puram ſincerámque Veritatem pervenire poſſe, quid, obſecro, exiſtimandum eſt de eis qui nè viliſſimas quidem corporis ſordes & cupiditates exuerunt, adeóque cæcutiunt, ut nè opus quidem eſſe arbitrentur ad Veritatem percipiendam ut hiſce corporeis inquinamentis expurgemur; ſola ſufficit induſtria & indomita quædam animi pervicacia. Quâ quidem nulla poteſt eſſe vox veſana magis magíſve ridicula.

7. Per-

7. Perinde enim est ac si quis oculorum lippitudine laborans, qui tamen velit etiam res longinquas clarè & distinctè perspicere, nolit tamen oculis medelam adhibere, sed pertinacem tantummodo sæpéque repetitam aciei intentionem in objecta quæ adeò gestit cernere: Quo tamen tantum abest ut meliùs videat, ut potiùs necesse sit quòd intempestivâ hâc cernendi contentione magis magísque indies cæcutiat. Est autem hæc oculorum medela, illa nimirum suprà dicta *Prudentia* & *Temperantia*.

8. Ecquis enim est qui proprio Marte de Deo, de Animæ nostræ Immortalitate, déque Divina Providentia, solidè & constanter philosophari potest, absque aliquali Animæ à suo corpore separatione, hoc est, absque *Platonica* illa mortis meditatione, quâ à corporeis omnibus affectibus rescindimur quasi & revellimur, quâque in *amorem illum Divinum*, qui solus vera certáque de abditissimis rerum Divinarum Mysteriis oracula effundere novit, abripimur toti & absorbemur? Quantò enim magis per *Prudentiam* illam *Temperantiámque Philosophicam* extinguuntur in nobis animales affectus & corporei, tantò magis in consensum cum Intellectuali Mundo, ínque Divini Luminis conspectum, emergimus.

Sapientia igitur, sive Divinissimorum Arcanorum Scientia, perfectæ Virtutis genuinus fructus meritò est habendus.

9. Quod ad ea bona quæ *ad Corpus* referuntur attinet, cujusmodi sunt *Robur*, *Agilitas*, *Sanitas*, & *Pulchritudo*; *Robur* sanè non tam Virtutis

tutis donum quàm Naturæ videtur: quanquam ipſius Conſervatio etiam Virtuti ſit accepta referenda. Imò verò non videtur omnino veri diſſimile quin Corpus, quod alioqui infirmius futurum erat, ex *Tolerantiæ* exercitiis multò poſſit fieri robuſtius.

Agilitas verò *corporis* non ſolùm Virtutis alumna eſſe poteſt, ſed etiam genuina filia. *Temperantia* enim & *Diligentia* ſuperfluam corporis molem ut plurimùm diminuunt, ſatiſque magnam ſpirituum copiam progignunt. Unde neceſſariò naſcitur hæc corporis *Agilitas*.

10. Virtutis autem donum maximè omnium conſpicuum eſt *corporis Sanitas*, quæ cùm omnibus ferè Virtutibus, tum præcipuè *Temperantiæ* debetur & *Pietati*, juxta Chaldaicum illud, ſi rectè memini, Oraculum;

Ad Pietatis opus vegetum ſi extenderis ignem
Mentis, & hos fluxos ſanabis corporis artus.

Expurgatus enim Animus etiam corpus quodammodo purificat & emundat, benignâque ſuâ luce irradiat, viréſque ejus corroborat. Dum verò ipſa Anima vel aceſcit odio, vel invidiâ tabeſcit, vel cæcis quibuſlibet curis marceſcit & cupiditatibus, impoſſibile eſt quin ſimul labefactetur corporis etiam ſanitas atque robur. Quid igitur tandem fiet de eo corpore cujus vires ebrietate quotidianâ & ingluvie obruuntur, aut indomitâ exhauriuntur libidine?

11. Sunt igitur corporis morbi ut plurimùm vitiorum animi effectus. Nam & Majorum peccata ſæpenumerò luunt infelices poſteri, Parentúmque morbi ſimul cum agris titulíſque quaſi

hæreditario quodam jure in filios derivantur. Quod quidem onus nullâ efficaciori ratione abjicere à se possunt & excutere, quàm si severiter velint Pietatem & Virtutem colere.

Quemadmodum enim omnibus animi Vitiis Justitia antiquior est, ità omnibus corporis Morbis illius Sanitas & Valetudo: Prout etiam innuere videtur vetustum illud carmen apud *Maximum Tyrium*; *O Dearum antiquissima Sanitas, Utinam tecum habitem Vitæ quod reliquum est meæ.* Cujus voti nemo citiùs futurus est compos quàm qui sincerè Pietatem colit & Virtutem.

12. Cùm verò *Sanitatis* corporeæ largitrix Virtus sit & conservatrix, necesse est ut eadem quoque corporeæ *Pulchritudinis* sit itidem mater pariter atque nutrix: tum quòd Venustas corporis sive Pulchritudo quasi flos & fructus ipsius Sanitatis sit, nec tam re quàm mente & cogitatione à corporis valetudine secerni possit; tum etiam quòd Virtus sit ipsius Animæ & sanitas & pulchritudo, quæ dum è spirituum motu, qui tum per oculos præcipuè tum per totum vultum transluçent, emicare cernitur, non potest non mirabilem elegantioribus formarum spectatoribus venustatis decorísque speciem exhibere: ut omittam ea quæ ad totius corporis gestum attinent atque motum; qui non potest non esse admodum honestus & venustus, dum à pulchra probâque Anima gubernatur. Quàm amabiles Virtutis indices sint oculi, observavit etiam * *Marcus Antoninus: Vir bonus & simplex & benignus etiam in oculis hæc præ se fert, nec potest se abscondere.*

* Τῶν εἰς ἑαυτὸν lib. 10. sect. 13.

13. In

13. In iis verò qui à nativa Innocentia vel ab acquisita Virtute defciscunt, & ad Vitium inclinant & turpitudinem, observare sanè potest non imperitus spectator, ipsorum etiam vultus paulatim immutari: &, tametsi nec figuræ concinnitas desit, nec vulgari forsan oculo satis gratus color, florem tamen formæ luculenque animadvertere poterit hebescere paulatim, & ex sinceriori luce in igneam quandam impuritatem fæcémve spissescere; Spirituum etiam motum subdolum magis magisve stupidum factum esse; totúmque aspectum aut fictum & artificiosum, aut durum impudentémque, evasisse. Quæ veræ moralique *vultûs pulchritudini* prorsus sunt contraria.

14. Qui verò è contrà sedulam Virtuti dant operam, & ad purgatum Animæ statum seriò contendunt, etiam vultus eorum oculósque verecundiores lucidioréque paulatim fieri observare licet. Quin & in eis ipsis quorum facies ex nimio fortasse Virtutis veræque Sapientiæ studio pallor maciésque totas occupaverint, notare tamen poteris amabilem quandam & venerandam venustatem & benignitatem etiam pallori huic & maciei ut plurimùm insidere. Adeò ut nemini pulchritudo corporis deesse possit cui pulchra non deest Anima, quæ mundos puróque corporis spiritus venustè & decorè moderetur.

15. Quantum igitur Virtus ad acquisitionem *Bonorum animi corporisque* conferat ex prædictis abundè constat. Quantum verò ad ea *Bona* adipiscenda valeat quæ *ad Suppositum* refe-

runtur, (qualia sunt *Libertas*, *Honores*, *Divitiæ*, *Nobilitas*, *Amicitiæ*, & id genus reliqua,) ex subsequentibus patebit. Quæ quidem cùm ea ipsa sint bona quæ *bona Fortunæ* vulgò dicuntur, non est profectò exspectandum ut tam necessario nexu à Virtute dependeant quàm illa bonorum genera quæ præcesserunt. Quòd verò de se apta nata sit Virtus ad ea assequenda, equidem credo haud difficile fore perpetuis rationibus evincere.

16. De *Libertate* enim manifestum est quòd etiam integræ Gentes eam Virtuti debeant, dum incursantes hostes à patriæ finibus per *Fortitudinem* strenuè amoliuntur, sine qua impossibile esset quin in turpem durámque abducerentur servitutem. Qui verò in bello capiuntur servíque fiunt, haud rarò accidit quòd postmodùm ob fidem, prudentiam & diligentiam, à Dominis suis manumittantur; quemadmodum passim observare licet in Comœdiis *Romanis*. Quòd autem in Pace *Justitia* Legúmque observatio *Libertatem* nostram conservat, dum Fures, Latrones, Homicidæ, dum Patriæ Principísve Proditores conjiciuntur in vincula, móxque capite plectuntur, ità obvium est ut nihil necesse sit notare.

17. Quòd si fortè vir probus (quod rariùs tamen contingit) etiam Virtutis causâ abducatur in carcerem, omnem tamen *Libertatem* suam perdidisse nullo modo est existimandus. Equidem si quò retrudi posset ubi à Deo Virtúteque secluderetur, ii demum carceres horrendi meritò videri deberent valdéque extimescendi.

Hu-

Hujuſmodi autem nulli ſunt præter ſolas improborum animas.

Fruſtrà igitur viro probo carceris ſqualorem, fruſtrà ſolitudinem minitaris; Siquidem ille non poteſt non ſplendidè habitare quem præſentia Divina illuſtrat ſemper & circumfulget; nec ſolus eſſe, quîcum univerſæ tam liberè verſantur Virtutes bonáque Conſcientia.

18. Præterea, cùm *Libertas* ſit nihil aliud quàm *poteſtas agendi ut velis*, manifeſtum eſt quòd vir probus *liber* ſit etiam in vinculis & carcere; quandoquidem neceſſe eſt ut ille ſemper agat ut vult, qui non aliter ſecum agi velit ac Divino Fato & Providentiæ viſum eſt, utpote qui animum voluntatémque ſuam Providentiæ Divinæ conformem ſemper habet & conſentientem. *Omne mihi congruit placétque quod tibi gratum eſt & congruum, O Munde*, i. e. O pulchra rerum Univerſitas à ſapientiſſimo Deo condita & gubernata. Quæ divina prorſus vox eſt *Marci Antonini*, veróque Philoſopho digna. Τῶν εἰς ἑαυτὸν l. 4. cap. 23.

19. Quantum verò ad *Honores*; Ecquis inveniri poteſt ad publica munia obeunda inſtructus magis magíſve idoneus quàm vir probus, quem *Juſtitia*, *Magnanimitas*, *Fides*, *Conſtantia*, *Munificentia*, *Prudentia*, *Fortitudo*, *Vigilantia*, reliquæque id genus Virtutes, tam mirificè muniunt & adornant?

Quin & de facto hujuſmodi ſunt omnes per totum terrarum orbem qui ad publica eliguntur munera; aut ſaltem ſub hiſce titulis commendantur, coluntur, decantantur. Quòd ſi

revera tales aliqui non essent, essent tamen ad minimum virorum bonorum vicariæ quædam imagines, atque statuæ ipsorum titulis nominibusque ornatæ, quas dum homines colunt, etiam ipsos viros bonos tanquam invisibilia quædam Numina existimandi sunt colere & venerari. Adeò ut nemini certiùs *Honores* debiti deferri videantur quàm viro probo, quem aut ipsum, aut ipsius saltem imaginem, omnes ubique terrarum homines colere observantur.

20. Sed nè *ditescat* satis vir bonus periculum est, cùm fraudes, rapinæ, perfidia, adulationes, amicorum proditiones, & id genus reliqua flagitia, ad opes accumulandas via videantur compendiosissima.

Est autem illud stultissimum *ditescendi* genus, quando pretium millecuplo majus valore ni emundæ solvitur. Quod tamen fit, quando quis vel minutissimam Virtutis partem Honoribus commutat vel Divitiis. Honestiores suppetunt ditescendi rationes etiam è Virtutis penu depromptæ. Cujusmodi sunt *Diligentia, Fides, Frugalitas, Temperantia*, & id genus aliæ Virtutes, quæ proculdubio satis magnam vim habent ad honestam quandam opulentiam rerúmque copiam. *O dii immortales!* (inquit *Cicero*,) *non intelligunt homines quàm magnum vectigal sit parsimonia!*

21. De *Nobilitatis* acquisitione nè minima quidem subortri potest addubitatio, cùm ipsa Virtus verissima sit Nobilitas, & perfectissimus primúsque omnis nobilitatis fons atque origo; quemadmodum suprà ea de re aliquantò fusiùs disseruimus.

22. Po-

22. Postremò, quod *Amicitias* attinet, quantum ab eis Virtuti debetur ex eo intelligas, quòd nullæ veræ sine Virtute Amicitiæ esse possunt, nec ullus purus & ingenuus Amor; sed solummodo sordida lucri alicujus vel emolumenti cupiditas, aut inutilis quidam levium & nugantium animorum lusus & lascivia.

Sola Virtus veras conciliat *Amicitias* & conservat, quæ cùm se extulit, (prout præclarè ea de re disserit apud *Ciceronem Lælius*,) luménque ostendit suum, & idem aspexit agnovítque in alio, ad id se admovet, vicissímque accipit illud quod in altero est, ex quo exardescit *Amor* sive *Amicitia*. Addítque insuper, *Amare* nihil aliud esse nisi eum ipsum diligere quem ames, nullâ indigentiâ, nullâ utilitate quæsitâ. Ad quem sensum etiam alibi loquitur *Cicero*, paulóque apertiùs & venustiùs; *Amicitiam si ad fructum nostrum referamus, non ad illius commoda quem diligimus, non erit ista Amicitia, sed Mercatura quædam utilitatum suarum.* *De Natura Deorum l. 1.*

Unde consequitur, nullum humanæ vitæ præsidium ipsâ Virtute majus esse posse, cùm sola per se tantam vim habeat alliciendi homines ad diligendum & ad conciliandam eorum benevolentiam, quam omnia honesta & opportuna officia comitari necesse est.

23. Est certè è Virtutum choro una *Veritas* quæ Amicitiæ minùs apta videtur, cùm odii potiùs & inimicitiarum parens à plerisque habeatur. Ubi profectò perridiculum quiddam mihi semper visum est accidere in rebus humanis, quòd illius Judicis vocem oderint plerumque

rumque homines, ad quam ipsi tamen perpetuò videri volunt provocare.

Cæterùm nulla firma constánsque *Amicitia* Veritate carere potest, non magis quàm fide & simplicitate, quæ necessarium est omnis veræ Amicitiæ fundamentum. *Neque enim fidum esse potest* (inquit *Cicero*) *multiplex ingenium & tortuosum*; addo occultum tacitúmve: multò minùs adulatorium nimísque obsequiosum. Molesta quidem Veritas est, sed Obsequium multò molestius, inquit ille, quòd peccatis indulgens præcipitem amicum ferri sinat.

Sed nec molesta *Veritas* est eis qui seriò Virtuti dant operam, quos non potest non mirificè oblectare omnis prudens Monitio quæ acerbitate caret & contumeliâ, tanquam indubitatum perfectissimæ Virtutis sinceríssimæque Amicitiæ testimonium.

24. Fateor equidem multò diductiùs hisce de rebus agi posse multóque copiosiús: sed pauca hæc sufficiant ad significandum quàm magnum momentum habeat Virtus ad Externa etiam Bona cujuscunque generis adipiscenda, quámque tutum firmúmque contra omnes humanos casus in ea positum sit præsidium.

CAP.

CAP. X.

De Bono illo Externo, Summo Æternóque, ad mentem Philosophorum.

1. UNicum solummodo supereſt Bonum externum, quod & æternum eſt. *Cœlum ipſum* non *ſtultitiâ*, quod dicitur, ſed Virtute, *petimus*, beatorúmque geniorum ſocietatem. Qualem deſcribit Oraculi Reſponſum de *Plotini* animæ tranſitu ad feliciſſimum illum ſtatum:

——————*Ad cœtum jam venis almum*
Heroum *blandis ſpirantem leniter auris*;
Heîc ubi Amicitia *eſt, ubi molli fronte* Cupido
Lætitiâ replens, liquidâ paritérque repletus
Semper ab Ambroſiis fœcundo è Numine rivis.
Unde ſerena quies caſtorum & dulcis Amorum
Illecebra, ac placidi ſuaviſſima flamina venti.

2. Cui quidem deſcriptioni affine eſt pium illud *Catonis* votum & profeſſio; *Non me vixiſſe pœnitet*, (inquit ille) *quoniam ità vixi ut non frustrà me natum exiſtimem; & ex vita hac diſcedo tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim Natura diverſorium nobis, non habitandi locum, dedit. O præclarum diem cùm ad illud Divinum Animorum concilium cœtúmque proficiſcar, & cùm ex hac turba & colluvione diſcedam!* Cic. de Senectute.

3. Quam opinionem etiam, tanquam de ſuo, repetit alibi *Marcus Cicero*. *Non enim is* De Conſolatione.

ego

ego ſum qui Animum ſimul cum homine interire putem, tantúmque mentis lumen Divinâ Naturâ delibatum poſſe extingui, ſed potiùs certo tempore emenſo ad immortalitatem redire. Quod ità ab eo dicitur, quaſi præſens hæc noſtra vita mors quædam Animæ eſſet. Quod diſertè affirmat *Scipio Africanus* percontanti *Cornelio* de ſuis defunctis an viverent: *Imò verò* (inquit) *ii vivunt qui ex corporum vinculis tanquam è carcere evolaverunt: Veſtra verò quæ dicitur vita, mors eſt.* Hujuſmodi multa paſſim apud *Ciceronem* occurrunt, ut de *Plotino* nihil dicam & *Platone.*

In Somnio Scipionis.

4. Quæ quidem Immortalitatis ſpes, cùm etiam Paganis illam antiquitùs effulſiſſe atque enotuiſſe videamus, è Morali Philoſophia nullo modo eſt excludenda; utpote quæ malorum eorum omnium externorum quibus innocua Virtus, ſive per arcanum quoddam fatum, ſive per neſariorum hominum invidiam & improbitatem, in hac vita vexari poſſit & affligi, certiſſima ſit juſtiſſimáque compenſatrix. Hâc igitur ſpe ſolâ fretus vir probus atque magnanimus omnia quæ cadere in hominem poſſunt ſubter ſe habet, eáque deſpiciens caſus contemnit humanos, culpâque omni carens, præter Virtutem & immortalitatem nihil cenſet ad ſe pertinere. Quemadmodum alicubi de Virtutis robore præclarè gloriatur *Cicero.*

5. Erat autem hæc animi ſpes atque fiducia olim in *Socrate* valde memorabilis, quâ tam facilè adverſarios ſuos mortémque ipſam contempſit. Qui cùm *Apollinis* oraculo ſapientiſſimus

mus est judicatus, in hoc tamen solo sapere videri voluit quòd, cætera incertus, de Animæ immortalitate nihil dubitârit: neque enim hac de re (ut testatur apud *Ciceronem Lælius*) tum hoc, tum illud, ut in plerisque, sed idem dicebat semper, *Animos hominum esse Divinos, iisque cùm è corpore exiissent reditum ad cœlum patere, optimóque & justissimo cuique expeditissimum.*

6. Itaque si qua in re quæ ad *Bona* spectat *externa* videri possit Virtus nobis officere, æquo tamen id animo constantíque ferendum est, cùm adeò ingens nos maneat post breve hujus vitæ curriculum compensatio. Imò verò in lucro potiùs ponere debemus quicquid in externis bonis, Corporis putà & Fortunæ, patimur; quandoquidem, si rectè atque sapienter, & prout res ipsa nos monet, hujusmodi jacturis uti velimus, quantum Bonis istis externis adimitur, internis Animi bonis tantundem additur & amplius.

Cùm verò *Bona* illa *externa*, sicut Corpus ipsum, mortalia sint & caduca, *Interna* verò non minùs quàm ipsa Anima immortalia & sempiterna, equidem ex his multò adhuc confirmatiores esse debemus ea lucra potiùs, quæ in corpore vel fortunis patimur, appellanda esse quàm damna & infortunia, auctiorésque & locupletiores nos exinde magis fieri quàm mutilatos quavis ratione aut diminutos.

7. Quemadmodum enim perridiculum esset, siquis ex eo quòd pretium solverit centuplo minus viliúsve eâ re quam emit, conquereretur tamen se hâc ratione factum pauperiorem, fortunás-

tunásque suas indè esse comminutas: Ità profectò mihi videtur æquè absonum atque absurdum siquis contra Divinam Providentiam querelas adhiberet ob ea quæ in externis bonis patitur, cùm ex istis damnis & injuriis tanta internis animi bonis fieri possit accessio, quæ maximam sanè partem humanæ felicitatis conficiunt, quæ non brevissimo hujus vitæ spatio, sed æternis immortalitatis seculis, mensuratur & clauditur. Ità ut si quis rectè sapere velit, non tam abhorrere debeat à rebus asperis & adversis, quàm eas tanquam sapientissimi Dei dona, maximáque & efficacissima Virtutum perficiendarum instrumenta, agnoscere & amplecti.

Hæc enim animæ vires explorant, omnéque ejus vitium & rubiginem deterunt & abstergunt; hæc *Prudentiam*, *Fortitudinem*, *Sinceritatem* nobis ingenerant, omnémque omnino Virtutem; aut saltem nullam in nobis hactenus sinceram fuisse Virtutem, in opprobrium nostrum, clarissimè demonstrant. Cùm igitur externa illa mala adeò utilia sint, existimari etiam debent, ut salubria omnia medicamenta, tolerabilia.

8. Atque ea certè mala externa quæ Animum nostrum affligere non possunt nisi per propriam ipsius imaginationem, (juxta illud *Epicteti*, *Perturbant homines non res ipsæ, sed falsæ ipsorum de rebus sententiæ*,) si cui illa intoleranda sunt, parùm se in Virtute profeciſse agnoscat. Virtus illa nulla est quæ propriis viribus, nullis externis suffulta adminiculis,

Enchirid. cap. 10.

lis, omnes imaginarias paſſiones non valuerit devincere & debellare. Ipſis verò corporis ſenſibus moleſtis & dolorificis obniti, eósque comprimere vel demulcere, aut efferatiores factos conſtanti tamen animo perferre, id certè ſupra humanæ naturæ vires poſitum eſſe potiori jure exiſtimetur.

Qua igitur de re præclarè, ut de omnibus, *Cicero:* Dolor eſſe videtur acerrimus Virtuti adverſarius; is ardentes faces intentat; is fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam ſe debilitaturum minatur. Quod tamen tam frequenter præſtare non poſſet, niſi noſmetipſi in culpa eſſemus. Rectè enim inſtituta probéque imbuta natura res quædam invincibilis eſt. Sed nos, quod meritò ille conqueritur, umbris, deliciis, otio, languore, deſidiâ animum infecimus, opinionibus malóque more delinitum mollivimus. *Tuſculan. Quæſt. l. 5.*

9. Quòd verò ſupra humanæ naturæ vires non ſit vel ſummos dolores ſponte noſtrâ ſuſcipere, ex eo manifeſtum eſt, quòd vel inanis gloriæ cupiditate, vel ex alicujus conſuetudinis vi aut ſuperſtitionis, multi permagnos quidem & intolerandos dolores pertulerunt.

10. Nihil hîc attinet dicere de pueris *Spartanis*, qui ad aram verberibus accepti ut multus è viſceribus ſanguis exiret, nonnunquam etiam ad necem, non modò non exclamaverunt unquam, ſed nè ingemuerunt quidem. Nihil de uxoribus *Indorum*, quas cùm plures ſinguli haberent, in certamen judiciúmque venerunt quæ cum defuncto marito viva *Tuſculan. Quæſt. l. 2.*

Tuſculan. Quæſt. l. 5.

va combureretur. Nihil de *Ægyptiis*, qui quamvis carnificinam ſubire maluerunt quàm ibim, aſpidem, felem aut canem violare. Nihil de *Turcis* aut *Americanis*, qui immania ſpontaneæ Tolerantiæ ſpecimina, aut ſuperſtitionis aut oſtentationis causâ, frequentiſſimè ediderunt. Hujuſmodi enim exemplis omnes ſcatent Hiſtoriæ.

11. Quòd ſi natura rudis, inculta, imperita, barbara, veræque Virtutis rerúmque optimarum ignara, tantâ polleat animi firmitudine & tolerantiâ; veráne ac genuina Virtus, quæ Divinum quiddam eſt, cúmque Deo ipſo conjuncta, ſplendidâque beatæ Immortalitatis ſpe armata ſemper & præmunita, potéſtne illa tergiverſari, iiſque malis cedere quibus inermes ipſos barbaros ſuccumbere maximopere puduiſſet? Minimè gentium, vera ſinceráque Virtus id non poteſt. Facilè tamen id poſſunt illius molliuſculi quivis & delicatuli proci, qui leviter cum illa deliciari amant & colludere, noménque ſuum ex ipſius familiaritatis opinione ornare utcunque & cohoneſtare: Siquid verò duri aſperíve illius causâ ſubeundum præſentiant, perſonam exuunt perbelli iſti Hiſtriones, ſéque non Virtutis amatores, ſed honorum, opum, corporíſque voluptatum, palàm apertéque oſtendunt.

12. Quamobrem qui ſeriò philoſophari velit, cùm tam manifeſtum ſit ſupra illius vires poſitum non eſſe, (quod infinitis ferè exemplis poſſemus probare, niſi brevitati ſtuderemus,) oportet eum toto animo eniti ut perfectam aſſequa-

ſequatur *Patientiam*, quâ omnes omnino animales voluptates corporíſque dolores ſubter ſe habeat, prorſúſque contemnat, ſolâ Virtute contentus, certiſſimóque illo Virtutis fructu beatâ Immortalitate; nec audere priùs aut apud ſeipſum fingere, aut profiteri apud alios, ſe ullam habere Virtutem, quàm eam quam ſuprà deſcripſimus *Patientiam* aſſecutus fuerit. Neque enim rectè habere dicimur vel tenere id quod in cujuſlibet poteſtate eſt è manu nobis excutere.

13. At verò inquies, Ain' tu, éſtne ſic ſapere via ad humanam felicitatem expeditiſſima? Magnatem me faciet hæc tua Philoſophia, aut Familiam meam opulentam? An non potiùs hæc tua decantata Virtus bonáque Conſcientia, niſi fortè ubi benigniori degitur ſub climate, rectà perducet hominem ad Ignem vel Patibulum, quemadmodum infinita teſtantur exempla à primis uſque temporibus repetita, pérque totum terrarum orbem paſſim edita? Ejuſmodi verò Virtutis ratio exponi debet, non quæ aliquibus locis aut temporibus accommodata ſit, ſed quæ omni loco ac tempore quæ bona ſunt nobis conciliet, mala verò aut procul à nobis averruncet, aut ſaltem eis ferendis, ſiquando obveniant, nos ſemper efficiat pares.

Quantum Virtus ad Honores Opéſque & ad alia id genus bona conferat, ſuprà jam innui, nec hîc repeto. Solùm addo, honeſtam paupertatem injuſtis divitiis eſſe præferendam, eáſque divitias eſſe injuſtas quæ vel minimâ Virtutis jacturâ acquiruntur vel retinentur. Relinque

linque tuis Virtutem tuam in hæreditatem, quâ si carent, non merentur tuo tanto cum dispendio diuescere. Si eam habent, superfluis non indigebunt divitiis.

14. Quod verò Ignem attinet & Patibulum; Si *Patientiâ* cares, pro certo scias te occultum semper aut Principis, si res tulerit, aut Patriæ, aut Religionis, aut Amicorum, aut horum omnium, tecum circumgestare proditorem. Quòd si *Patientiâ* satìs sis instructus, dic feroculis istis, dic istis hominum larvis, Animam humanam nec flammis absumi posse nec aquis extingui, nec ullis tortorum lanienis distrahi in partes nec discerpi, nec ipsam Virtutem ab invita Anima divelli, nec Deum ipsum à Virtute Animâque.

15. Præterea, Summæ esse & improbitatis & stultitiæ, quando Deus hanc vitam nostram reposcit, non lubentissimè reddere depositum tam potenti justóque Petitori. Reposci autem ab eo semper, quoties ejusmodi proponuntur vivendi conditiones quæ consistere non poterunt cum ea observantia quam Deo debemus & Virtuti.

16. Postremò, In extremis angustiis non solere Deum deesse suis, vitámque beatam vix in mediis tormentis interrumpi, modò non remittat se Animus, nec eum incepti pœniteat, sed forti & sincero affectu in mediis doloribus ad Deum perpetuò anhelet beatámque immortalitatem. Animam enim nostram ex omnibus hisce sive exustionibus sive lanienis ad oras superas, Divinúmque illud Animorum concilium

cœ-

cœtúmque integram & indelibatam pervolare, summíſque gaudiis & tripudijs, tanquam ex diuturniori aliquo bello victricem exſilióve reducem, in cœleſtem patriam excipi.

17. Quæ ibi lætitia! qui triumphi! quàm ſuaves beatorum Geniorum Animorúmque congreſſus & complexus! quàm amica colloquia! Quæ congratulationes redeunti à tantis laboribus Animæ, támque dira ob Veritatis Virtutíſque amorem perpeſſæ! Quàm ſolidis plauſibus, quàm canoris acclamationibus Supernæ illæ ſedes rebœabunt! vel potiùs quàm ſolidam & ſempiternam felicitatem adipiſcetur victrix Anima in ſupernis illis ſedibus! ubi æternâ juventâ floret impollutus Amor, ſinceráque Amicitia, ubi divini diſcurrunt Splendores, pulcherrimíque bonorum Geniorum obverſantur vultus & aſpectus; ubi purum circumfulget Veritatis lumen, veræque Virtutis candore omnia nident; ubi perpetua rerum pax & tranquillitas, quies inconcuſſa & inexpugnabilis ſecuritas; ubi denique ea eſt voluptas & felicitas uam alibi humanæ animæ nuſquam poſſunt xperiri.

18. Dei enim imago quædam Animus eſt, ex ſo Deo delibata & profecta: Profecta autem Deo cœlum ipſum appetit, nam in eum lum unde diſceſſit ſemper optat redire. Terra utem ſi cui appetenda, *Corpori* ſoli eſt. At erò *Animis* æterna cœli ſedes quærenda, áque propria illorum patria. Siquidem aniorum nulla in terris origo inveniri poteſt, ut æclarè ea de re philoſophatur *Cicero*. *De Conſolatione.*

19. O vitam verè vitalem, quæ intimos Animæ ſenſus hâc cruſtâ Corporis craſſóque cortice nudatos jucundiſſimis cœli voluptatibus leniſſimíſque Divinæ auræ ſpiraculis tam mirificè percellit, perflat & permulcet! O beatiſſimum victricis Virtutis ſtatum omnibus bonis & gaudiis circumfluentem! Sed & beatam illam mortem & carnificinam, quæ fortes & conſtantes animas ad tanta gaudia tantáſque voluptates tranſmittit!

20. Magna ſunt, fateor, quæ hîc loquor & per totum hunc libellum: Majora tamen non ſunt quàm quæ veræ & genuinæ *Moralis Philoſophiæ* deſcriptioni competunt: Neque enim rectæ Rationis limites captúmve tranſcurrunt, nec inſigniorum Ethnicorum excedunt profeſſiones & teſtimonia.

21. Verùm nequa fraus fiat Religioni, aperte dicam liberéque quod ſentio, nempe, Præclara illa ferè omnia *de Deo*, *de Anima*, déque *Virtute*, quæ in veterum Philoſophorum ſcriptis reperiuntur, vel quæ de præſtantiorum Ethnicorum dictis factíſve memoriæ produntur, aut antiquiſſimæ Eccleſiæ Dei doctrinæ vetuſtæve Cabbalæ, aut *æterno*, Dei Filio, *LOGO* accepta eſſe referenda; qui ab omnibus retro ſeculis ſingulos homines aliquali, quoſdam verò pleniori præter cæteros acrioríque, ſenſu honeſtatis imbuit.

Hæc eſt enim *illa lux quæ illuminat omnem hominem venientem in* hunc *mundum*, prout Chriſtiana teſtantur oracula. *Pythagoram* verò è fontibus Hebraicis ſapientiam ſuam hauſiſſe Scriptorc

ptores veteres tum ſacri tum prophani ſuis certatim confirmant ſuffragiis. Hujus autem ſapientiæ partem præcipuam, *de Deo*, *de Animæ immortalitate*, déque *Vita ac moribus*, in *Platonem* derivatam fuiſſe, mox in *Stoam Peripatúmque*, poſtea verò in totum ferè terrarum orbem redundâſſe, manifeſtius videtur quàm ut quiſquam de eo poſſit dubitare.

22. Quamobrem ut præclara aliquammultorum Ethnicorum Virtus & Sapientia Divinæ Providentiæ vim & benignitatem penetrantem ad omnia & longè latéque dimanantem non mediocriter illuſtrant, ità ſanè Eccleſiæ gloriam obſcurare non poſſunt; cùm quicquid pulchri apud Ethnicos occurrit, aut Eccleſiæ Dei doctrinæ debeatur, aut *Divino Logo*, quem Vetus Eccleſia è Tabernaculo elucentem, Nova verò (id eſt, Chriſtiana) in humana *Meſſiæ* natura tanquam in ſanctiſſimo quodam Templo gloriosè reſidentem, ſanctè, prout par eſt, religioséque colit ac veneratur.

FINIS.

Scriptorum Græcorum Voces ac Sententiæ, quarum Interpretamenta ſolummodo occurrunt in antecedenti Tractatu, Græcè hîc reſtituuntur.

LIB. I.

CAP. I. Κατ̀ὰν φύσιν τέλειον εἶναι—
Sect. 1. κατ̀ὸν βίον.

Sect. 2. Ἁ γὰρ ἀρετὰ τᾶς ἑκάστω φύσιος καὶ ἀκρότας καὶ τελειότας ἐντί.

Κατ̀ὸν βίον δὲ τέλειοι τοὶ μὴ μόνον ἀγαθοὶ ὄντες, ἀλλὰ καὶ εὐδαίμονες.

Συμπεραίνει γὰρ τὰς πράξιας ἀρετὰ καὶ τύχα· τὰ μὲν ἀρετὰ κατ̀ὰν χρᾶσιν, τὰ δ' εὐτυχία κατ̀ὰν κατόρθωσιν.

Sect. 3. καὶ διὰ τὰν ἀρετὰν αὐτὰν, καὶ διὰ τὰν εὐτυχίαν.

CAP. II. Sect. 2. τὸ μέγιστον καὶ ἄριστον ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν.

Sect. 3. Ἡ δὲ ἡδονὴ τελειοῖ τὰς ἐνεργείας, καὶ τὸ ζῆν δὲ οὗ ὀρέγονται, &c.

Τὴν δ' εὐδαιμονίαν οἴονται πάντες ἤτοι ἡδονὴν εἶναι καὶ τὸ ἡδέως ζῆν, ἢ οὐκ ἄνευ γε ἡδονῆς.

Ὁ ἀληθῶς εὐδαίμων ἥδιστα ζῇ, καὶ τοῦτο οὐ μάτην ἄνθρωποι ἀξιοῦσιν.

τὸν βίον τὸν μετ' ἀσφαλείας ἥδιστον.

Sect. 4. Ἔστι γὰρ ἡδονὴ ἀποκατάστασις ἐκ τοῦ παρὰ φύσιν εἰς φύσιν ἑκάστου τὴν αὐτοῦ.

Τῷ γὰρ λογικῷ ζώῳ ἡ αὐτὴ πρᾶξις κατὰ φύσιν ἐστὶ καὶ κατὰ λόγον.

Sect. 6. κατὰ τὸ κράτιστον, vel κατὰ τὸ θειότατον τῶν ἐν ἡμῖν.

Εἴτε δὴ νοῦς τοῦτο, εἴτε ἄλλό τι, ὃ δὴ κατὰ φύσιν δοκεῖ ἄρχειν καὶ ἡγεῖσθαι, καὶ ἔννοιαν ἔχειν περὶ καλῶν καὶ θείων, εἴτε θεῖον ὂν καὶ αὐτὸ, εἴτε τῶν ἐν ἡμῖν θειότατον, ἡ τούτου ἐνέργεια κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν εἴη ἂν ἡ τελεία εὐδαιμονία.

τῶν καλῶν καὶ θείων.

Sect. 8. τὴν εἰλικρινῆ καὶ ἐλευθέριον ἡδονήν.

Ἀλλ' οἱ φάσκοντες εἶναι τὴν ἡδονὴν οὐ σπουδαίαν, πεπόνθασιν οἷον οἱ, μὴ εἰδότες τὸ νέκταρ, οἴονται τοὺς θεοὺς οἶνον πίνειν, καὶ οὐκ εἶναι τούτου ἥδιον οὐδέν.

Sect. 9. Εἰ γέγονας τοῦτο, καὶ εἶδες αὐτό.

Δεῖ τὸν μανθάνοντα πιστεύειν.

Sect. 11. Ἔπαινον μὲν τὸν ἐξ ἀρετᾶς, μακαρισμὸν δὲ τὸν ἐξ εὐτυχίας.

Ἄνευ τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν οὐκ ἐνδέχεται εὐδαίμονα εἶναι.

Sect. 12. Ἐνδέχεται γὰρ μέτρια κεκτημένους πράττειν ἃ δεῖ.

ἀλλὰ τὸν ζῶντα ἀλύπως καὶ καθαρῶς πρὸς τὸ δίκαιον, καί τινος θεωρίας κοινωνοῦντα θείας.

CAP. III. *Sect.* 3. Ὁ γὰρ μετὰ βίας ἐπικρατέων λογισμὸς θυμοῦ καὶ ἐπιθυμίας ἐγκράτειαν καὶ καρτερίαν ποιεῖν μετὰ βίας δὲ πάλιν ἐκβιασθεὶς αὐτὸς ὑπὸ τῶν ἀλόγων, ἀκρασίαν καὶ μαλακίαν. αἱ δὲ τοιαῦται διαθέσεις τᾶς ψυχᾶς ἡμιτελέες μὲν ἀρεταὶ, ἡμιτελέες δὲ κακίαι τυγχάνοντι.

Sect. 4. Τὸ ἄριστον ὅ, τι δήποτε ὂν, εἰ μὴ τῷ ἀγαθῷ μὴ φαίνεσθαι.

Sect. 5. Ἔξιν τινὰ τοῦ δέοντος.

τὸ μέσον καὶ τὸ ἴσον, τὸ οὐκ ἀφαιρέσιος οὔτε προσθέσιος δεόμενον, ὅτι αὐτό ἐστιν ὃ δεῖ ἦ μεν.

Τὸ βέλτιστον φαινόμενον νόμος ἔστω ἀπαράβατος.

Sect. 6. Νόμος ἀΐδιος καὶ ἰσοκλινής.

ἕπεσθαι

ἕπεσθαι Θεῷ, & τῇ φύσει ἕπεσθαι.

Sect. 7. Εἰ μὴ ἔχεις παρὰ σαυτῷ τῶν γε τοιούτων αἴσθησιν, οὐκ ἔστι.

Ὁμοίως ἔχει καὶ ἐπὶ τῶν παθῶν τοῦ γνωρίζειν· Δεῖ γὰρ αὐτὸν συμβάλλεσθαι πρὸς αἴσθησίν τι.

τὸ ἀγαθοειδὲς τῆς ψυχῆς.

Sect. 8. Ὁ ὀρθὸς λόγος ὁ κατὰ τὴν φρόνησιν.

Sect. 9. Δεῖ δὴ ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις πρὸς τὸ ἄρχον ζῆν καὶ πρὸς τὴν ἕξιν κατὰ τὴν ἐνέργειαν τὴν τοῦ ἄρχοντος. Ἐπεὶ δὲ καὶ ἄνθρωπος φύσει συνέστηκεν ἐξ ἄρχοντος καὶ ἀρχομένου, καὶ ἕκαστον δὴ δέοι πρὸς τὴν ἑαυτοῦ ἀρχὴν ζῆν. αὕτη δὲ διττή. ἄλλως γὰρ ἡ ἰατρικὴ καὶ ἄλλως ἡ ὑγίεια· ταύτης δὲ ἕνεκα ἐκείνη· οὕτω δὲ ἔχει κατὰ τὸ θεωρητικόν. Ὁ γὰρ ἐπιτακτικῶς ἄρχων ὁ Θεὸς, ἀλλ' οὗ ἕνεκα ἡ φρόνησις, ἐπιτάττον δὲ καὶ τὸ οὗ ἕνεκα. διώρισται δ' ἐν ἄλλοις, ἐπεὶ κεῖνός γε οὐδενὸς δεῖται. Ἥτις οὖν αἵρεσις καὶ κτῆσις τῶν φύσει ἀγαθῶν ποιήσει τὴν τοῦ Θεοῦ μάλιστα θεωρίαν, αὕτη ἀρίστη, καὶ τοῦτ' ὁ ὅρος κάλλιστος. Εἴ τις δὲ ἢ δι' ἔνδειαν ἢ δι' ὑπερβολὴν κωλύει τὸν Θεὸν θεραπεύειν καὶ θεωρεῖν, αὕτη δὲ φαύλη.

Sect. 10. Τοῖς μὲν θεοῖς πᾶς ὁ βίος μακάριος, τοῖς δ' ἀνθρώποις ἐφ' ὅσον ὁμοίωμά τι τῆς τοιαύτης ἐνεργείας ὑπάρχει.

Sect. 11. Ἐκ θεῶν τοῖς ἀνθρώποις δεδόσθαι κάλλιστα, τό, τε ἀληθεύειν καὶ τὸ εὐεργετεῖν· ἐοικέναι δὲ καὶ τοῖς θεῶν ἔργοις ἑκάτερον.

Ἀρχὰ γὰρ καὶ αἰτία καὶ κανὼν ἐντὶ τᾶς ἀνθρωπίνας εὐδαιμοσύνας ἁ τῶν θείων καὶ τιμιωτάτων ἐπίγνωσις.

CAP. IV. *Sect.* 1. Ὁ μὲν γὰρ νοῦς τῶν ὅρων ὧν οὐκ ἔστι λόγος.

CAP. V. *Sect.* 1. Ἔστι δὲ δή τι νοητὸν ὃ χρή σε νοεῖν νόου ἄνθει.

CAP. VI. *Sect.* 5. τὸ μὲν κυρίως καὶ ἐν ἑαυτῷ, τὸ δὲ ὥσπερ τοῦ πατρὸς ἀκουστικόν τι.

Τὸ μὲν γὰρ φυτικὸν οὐδαμῶς κοινωνεῖ λόγου· τὸ δὲ ἐπιθυμητικὸν καὶ ὅλως ὀρεκτικὸν μετέχει πῶς, ᾗ κατήκοόν ἐστιν αὐτοῦ καὶ πειθαρχικόν.

Sect. 16. Ὅτι οὐκ ἐν τῷ ὑπεξελέσθαι τὰ πάθεα τᾶς ψυχᾶς ἡδονὰν καὶ λύπαν ἁ ἀρετὰ πέπτωκεν, ἀλλ' ἐν τῷ ταῦτα συναρμόζεσθαι.

CAP. XI. *Sect.* 3. Ἐν ἀγαθοῦ γὰρ λόγῳ γίνεται τὸ ἔλαττον κακόν.

Sect. 4. Ἄδικον γὰρ τὸ παρὰ τὴν ἀξίαν γιγνόμενον· διὸ καὶ τοῖς θεοῖς ἀποδίδομεν νεμεσᾶν.

Sect. 8. Συντέτακται γὰρ ὁ θυμὸς καὶ ἁ ἐπιθυμία ποτὶ τὸ πρᾶτον μέρος τᾶς ψυχᾶς· τὸ μὲν ὥσπερ δορυφόρος τις καὶ σωματοφύλαξ, τὸ δὲ ὡς οἰκονόμος καὶ οἰκουρὸς τῶν ἀναγκαίων.

Sect. 11. Ὁ γὰρ νόμος λόγος ἐστὶν ὡρισμένος κατ' ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως μηνύων πῶς δεῖ πράττειν ἔρασα.

CAP. XII. *Sect.* 1. ἄνευ λόγου ὁρμὴν ἔχειν πρὸς τὸ πράττειν τι.

Sect. 9. Γίνεται γὰρ ἐκ τῶν παθέων ἁ ἀρετὰ, καὶ γεννηθεῖσα πάλιν σὺν αὐταῖς συνίσταται.

ὥστε μήτε ἀπαθέα μήτε ἐκπαθέα ἦμεν.

Ἁ μὲν γὰρ ἀπάθεια ἀπαρόρμητον καὶ ἀνενθουσίαστον παρέχεται τὰν ψυχὰν ποτὶ τὸ καλὸν, ἁ δὲ ἐκπάθεια συντεταραγμένην καὶ ἀνεπιλόγιστον.

Sect. 10. Ἀσκητέον ὦν ποττὰν μετριοπαθίαν ἰέμεν· ὡς τό,τε ἀνάλγητον εἰς ἴσον τῷ ἐκπαθεῖ φεύγωμες, μήτε μέζον φύσιος τᾶς ἁμετέρας φεγγώμεθα.

LIB.

LIB. II.

CAP. I. Οἷον ἀμυντικόν τι καὶ ὑπομαχητικὸν ποττὰ
Sect. 2. πλησίον.

Ἀνάγκη δ' ἀρετὰν πᾶσαν τρία ταῦτ' ἔχειν, λόγον, καὶ δύναμιν, καὶ προαίρεσιν· λόγον μὲν ᾧ κρίνει καὶ θεωρεῖ, δύναμιν δὲ ᾧ ἀντέχει καὶ κρατεῖ, προαίρεσιν δὲ ᾧ στέργει καὶ ἀγαπᾷ.

Sect. 3. Τῶ μὲν λογικῶ μέρεος τᾶς ψυχᾶς ἀρετὰν εἶναι τὰν φρόνησιν, τῶ δὲ θυμοειδέος τὰν ἀνδρίαν. Ἕξις γάρ ἐντι ἀντερειστικὰ καὶ ὑποστατικὰ τῶν δεινῶν.

Sect. 4. Ἀρχαὶ συμπάσας ἀρετᾶς γνῶσις, δύναμις, προαίρεσις. Καὶ ἔστιν ἁ μὲν γνῶσις ᾇ θεωρῦμεν καὶ κρίνομεν τὰ πράγματα· ἁ δὲ δύναμις οἷον ἀλκά τις τῶ σκάνεος ᾇ ὑφιστάμεθα καὶ ἐμμένομεν τοῖς πράγμασιν· ἁ δὲ προαίρεσις οἷον χεῖρες ψυχᾶς τινες αἷς ὁρμῶμεν καὶ ἀντιλαζόμεθα τῶν πραγμάτων.

Sect. 5. ἐν τῷ τηρεῖν τὸν ἔνδον δαίμονα ἀνύβριστον καὶ ἀσινῆ, ἡδονῶν καὶ πόνων κρείσσονα.

μηδὲν εἰκῇ ποιοῦντα.

μηδὲ διαψευσμένως καὶ μεθ' ὑποκρίσεως.

Sect. 6. Τὸ προηγούμενον ἐν τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῇ τὸ κοινωνικόν ἐστιν.

ἑαυτὰν παρέχειν ἀφελῶς ἑπόμενον τῷ λόγῳ καὶ τῷ Θεῷ.

Δεύτερον δὲ, τὸ ἀνένδοτον πρὸς τὰς σωματικὰς πείσεις.

Τρίτον δὲ, τὸ ἀπρόπτωτον καὶ ἀνεξαπάτητον.

Sect. 7. τὴν ἐφ' ἕκαστα διαληπτικὴν ἐπίστασιν.

τὴν ἑκούσιον ἀπόδεξιν τῶν ἀπὸ τῆς κοινῆς φύσεως ἀπονεμομένων.

Ὁ τὰ πάντα διοικῶν Θεὸς νόμος ἐστὶ νέμων ὅσα ἑκάστῳ ἐπιβάλλει.

Sect. 8. Κόσμος τε γὰρ εἷς διὰ ἁπάντων, καὶ Θεὸς εἷς διὰ

διὰ πάντων, καὶ οὐσία μία, καὶ νόμος εἷς λόγος κοινὸς πάντων τῶν νοερῶν ζώων, καὶ ἀλήθεια μία, εἴγε καὶ τελειότης μία τῶν ὁμογενῶν καὶ τοῦ αὐτοῦ λόγου μετεχόντων ζώων.

Sect. 9. ὡς φερόμενοι κατὰ ταὐτὰ Θεῷ, καὶ ἐπὶ ταὐτὰ τῇ γνώμῃ φερόμενοι.

Sect. 10. τὴν ὑπέρτασιν τοῦ φρονοῦντος μορίου ὑπὲρ λείαν καὶ τραχείαν κίνησιν τῆς σαρκὸς, καὶ τὸ δοξάριον, καὶ τὴν θάνατον, καὶ τὰ τοιαῦτα.

CAP. II. *Sect.* 2. Ἡ φρόνησις ἐπιτακτική ἐστιν, ἡ σύνεσις κριτικὴ μόνον.

καὶ ἐντεῦθεν ἐλήλυθε τοὔνομα, ἡ σύνεσις καθ' ἣν εὐσύνετοι, ἐκ τῆς ἐν τῷ μανθάνειν.

Sect. 3. Ἡ ὀρθότης βουλῆς ἡ τοῦ ἀγαθοῦ τακτική.

Μὴ ἐκθόρνυσθαι.

Sect. 4. Ἔστι γὰρ ἡ τοῦ ἐπιεικοῦς κρίσις ὀρθή.

Ἕξις τις στοχαστικὴ τοῦ μέσου ἐν τοῖς πάθεσι καὶ ταῖς πράξεσι.

Ἄνευ τε γὰρ λόγου καὶ ταχύ τι ἡ εὐστοχία.

Ἔστι γὰρ εὐστοχία τις.

Sect. 5. Τὰ δὲ τοιαῦτα ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα καὶ ἐν τῇ αἰσθήσει ἡ κρίσις.

Εἰ γὰρ μὴ ἔχοις παρὰ σαυτῷ τῶν γε τοιούτων αἴσθησιν, οὐκ ἔστι.

Ἔστι γὰρ τοῦ ἐν ἡμῖν πρακτικοῦ νοῦ οἱονεί τις εὐαισθησία, δι' ἣν μὲν ἐν οἷς πάσχομεν οὐ παραισθανόμεθα, δι' ἣν δὲ ἐν οἷς πράττομεν οὐ παραλογιζόμεθα.

Sect. 6. ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν.

τὸν ὀρθὸν λόγον, τὸν κατὰ τὴν φρόνησιν.

Sect. 8. ἀλλὰ τὰ πρὸς τὸ εὖ ζῆν ὅλον.

CAP. III. *Sect.* 1. Ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς τὰ δίκαια ποιεῖν καὶ τἀληθῆ λέγειν.

οὐδὲ ἕπερος οὐδ' ἠῷος οὕτω καλὸς καὶ θαυμαστός.

Sect. 2. Ὦ φίλη ψυχὴ, πότε μία ἔσῃ καὶ γυμνὴ καὶ ἁπλῆ;

Σεαυ-

Σεαυτὸν μὴ τάρασσε, Ἅπλωσον σεαυτόν.

ὑπὸ μίαν καὶ τὰν αὐτὰν ἀρχὰν ἀναλῦσαι.

πρὸς τὸ ἀκολουθεῖν τῷ Θεῷ.

Sect. 3. τὸ ὀρθὸν λόγον διὰ πάντα ἐρχόμενον, τὸ αὐτὸν ἐν τῷ Διῒ καθηγεμόνι τῆς τῶν ὄντων διοικήσεως.

Sect. 4. Μηκέτι μόνον συμπνεῖν τῷ προιέχοντι ἀέρι, ἀλλὰ ἤδη καὶ συμφρονεῖν τῷ προιέχοντι πάντα νοερῷ.

τὸ συμφρονεῖν τῷ Θεῷ.

Sect. 7. Περὶ γὰρ ἡδονὰς καὶ λύπας ἐστὶν ἡ ἠθικὴ ἀρετή. Διὰ μὲν γὰρ ἡδονὴν τὰ φαῦλα πράττομεν, διὰ δὲ τὴν λύπην τῶν καλῶν ἀπεχόμεθα.

Ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

Sect. 8. Ἐξάλειψον τὴν φαντασίαν, Στῆσον τὴν νευροσπασίαν.

CAP. IV. *Sect.* 3. Ἐν ἐκείνοις γάρ ἐστι δίκαιον ἐν οἷς καὶ νόμος τίθεται.

Ὁ γὰρ νόμος καὶ ἡ δίκη διάκρισίς ἐστι τοῦ δικαίου καὶ ἀδίκου.

Sect. 6. Εἰ γὰρ καὶ παρ' ἀνθρώποις πάντα ἦν τὰ δίκαια μεταβλητὰ, παρά γε τοῖς θεοῖς ἀνάγκη δίκαιον εἶναι ἀμετάβλητον, ὥστε εἶναί τι φυσικὸν δίκαιον. Νῦν δὲ καὶ παρ' ἀνθρώποις τοῖς τε ὀρθῶς καὶ ὑγιῶς ἔχουσιν ἐστι δίκαιον ἀκίνητον ὃ φυσικὸν λέγεται. Εἰ δὲ νοσοῦσι τὰς φρένας καὶ διεστραμμένοις οὐ δοκεῖ δίκαιον, οὐδὲν διαφέρει. Οὐδὲ γὰρ ὁ λέγων τὸ μέλι γλυκὺ εἶναι ψεύδεται, διότι τοῖς νοσοῦσιν οὐ τοιοῦτον δοκεῖ.

CAP. 5. *Sect.* 4. Φυγὴ δὲ ὁμοίωσις Θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· Ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον γενέσθαι μετὰ φρονήσεως.

Θεὸς οὐδαμῆ οὐδαμῶς ἄδικος, ἀλλ' ὡς οἷόν τε δικαιότατος. Καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ ὁμοιότερον οὐδὲν ἢ ὃς ἂν ἡμῶν αὖ γένηται ὅτι δικαιότατος.

Sect. 5. Θεὸς ἀνθρώποις σώφροσι νόμος, ἄφροσι δὲ ἡδονή.

Ὁ δὴ Θεὸς ἡμῖν πάντων χρημάτων μέτρον ἂν εἴη μάλιστα,

μάλιστα, καὶ πολὺ μᾶλλον ἤ που τὶς ἄνθρωπος.

Ὁ μὲν σώφρων ἡσῶν Θεῷ φίλος, ὅμοιος γάρ· ὁ δὲ μὴ σώφρων, ἀνόμοιός τε καὶ διάφορος καὶ ἄδικος.

Sect. 7. Αἴσθοι ποτὲ ὅτι κρεῖττόν τι καὶ δαιμονιώτερον ἔχεις ἐν σεαυτῷ τῶν τὰ πάθη ποιούντων, καὶ καθάπαξ, τῶν νευροσπαστούντων σε.

Ὁ ἑκάστου νοῦς Θεός, καὶ ἐκεῖθεν ἐῤῥύηκεν.

Τί πλέον ἐπιζητεῖς ἢ τὸ παρὸν ἔργον ζώου νοεροῦ καὶ κοινωνικοῦ καὶ ἰσονόμου Θεῷ;

Συζῇ δὲ θεοῖς ὁ ποιῶν ὅσα βούλεται ὁ διαίμων ὃν ἑκάστῳ προστάτην καὶ ἡγεμόνα ὁ Ζεὺς ἔδωκεν. οὗτος δέ ἐστιν ὁ ἑκάστου νοῦς καὶ λόγος.

Sect. 8. Τὸ μεμνῆσθαι Θεοῦ, καὶ ὅτι περ οὐ κολακεύεσθαι οὗτος θέλει, ἀλλὰ ἐξομοιοῦσθαι ἑαυτῷ πάντα τὰ λογικά.

Ἐνὶ τέρπεσθαι καὶ προσαναπαύεσθαι, τῷ ἀπὸ πράξεως κοινωνικῆς μεταβαίνειν ἐπὶ πρᾶξιν κοινωνικὴν σὺν μνήμῃ Θεοῦ.

Sect. 10. Μόριον γὰρ δικαίου τὸ ὅσιον.

Ἐπιστήμην παρεχομένην πιστοὺς καὶ τηροῦντας τὰ πρὸς τὸ θεῖον δίκαια.

Sect. 13. Κριτὴς γὰρ ἀμφοῖν ὁ κανών.

CAP. VI. *Sect.* 3. Μὴ ἔριζε τοῖς γονεῦσι κἂν δίκαια λέγῃς.

Sect. 8. Ἔστι γὰρ ὡς ὁ ἀδικήσας πρὸς τὸν ἠδικημένον οὕτως ὁ δικαστὴς πρὸς τὸν ἀδικήσαντα. Οἷς γὰρ ἐποίησε πρὸς τὸν ἠδικημένον ὁ ἀδικήσας, τὰ ἴσα πάσχει παρὰ τοῦ δικαστοῦ.

Sect. 9. Τὸ γὰρ ἐπιεικὲς καὶ δίκαιόν ἐστι καὶ δικαίου τινὸς βέλτιον· καὶ οὐχ ὡς ἑτερογενὲς τοῦ δικαίου βέλτιόν ἐστιν ἀπτοῦ, ἀλλ' ὡς μέρος ἄλλου μορίου ὁμογενοῦς.

Αὕτη δέ ἐστιν ἡ ἐπιείκεια καθ' ἣν τὸ ἐλλεῖπον ἀναπληροῦται τῶν νόμου καὶ τὸ ἁμάρτημα ἐπανορθοῦται, καὶ ὁ προσδιορισμὸς, ὃν ἐκεῖνος παρέλιπε διὰ τὸ πάντα κατὰ μέρος οὐκ εἰδέναι, προστίθεται.

Sect.

Sect. 10. Ἃ καὶ αὐτὸς ἂν εἶπεν ὁ νομοθέτης εἴγε παρῆν, καὶ εἰ ᾔδει ἐνομοθέτησεν ἄν.

CAP. VII. *Sect.* 1. Τὸ γὰρ χρῆσθαι πάσαις ἀρεταῖς πρὸς τὸ συμφέρον τῶν πέλας, τοῦτο ἔστιν ἡ δικαιοσύνη.

Sect. 3. Ἔστι τοίνυν ἀνδρεῖος ὁ τὰ μέγιστα μὲν τῶν δεινῶν μὴ φοβούμενος.

ἐν οἷς χρεία τόνου τινὸς καὶ ὁρμῆς, ἢ θάνατος σεμνός ἐστι. Κυρίως γὰρ ἀνδρεῖος ὁ τὸν ἄριστον θάνατον καρτερῶν.

ὁ περὶ καλὸν θάνατον ἀδεής.

Οἱ γὰρ μὴ διὰ τὸ καλὸν ὁρμῶντες καὶ ὀργιζόμενοι, ἀλλὰ διὰ τὸ πάθος, οὐκ ἀνδρεῖοί εἰσιν, ἀλλὰ μάχιμοι.

Sect. 4. Τὸ γὰρ ἀλγεῖν καὶ δάκνεσθαι ὑπὸ τῶν λυπηρῶν οὐδὲν κωλύει ἀνδρεῖον εἶναι· ὅσον γὰρ μᾶλλον λυποῖταί τις καὶ λυπούμενος ὑπομένει διὰ τὸ ἀγαθὸν, τοσοῦτον ἀνδρεῖος ἂν εἴη κυρίως.

CAP. VIII. *Sect.* 4. Ἡ δὲ χρῆσις χρημάτων οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ δαπάνη καὶ δόσις.

Sect. 5. εἰς τὸ κοινὸν καὶ εἰς τὸ θεῖον.

Sect. 7. τὸ ὀγκηρὸν καὶ τὸ μέγα εἶναι δοκοῦν.

Καὶ γὰρ καὶ ἡ ὑπερβολὴ καὶ ἡ λίαν ἔλλειψις ἀλαζονικόν.

Sect. 14. Παρήγγελλον γὰρ θάμα ἀλλήλοις μὴ διασπᾶν τὸν ἐν ἑαυτοῖς θεόν. οὐκοῦν εἰς θεοκρασίαν τινὰ, καὶ τὴν πρὸς τὸν Θεὸν ἕνωσιν, καὶ τὴν τοῦ νοῦ κοινωνίαν καὶ τὴν τῆς θείας ψυχῆς ἀπέβλεπεν αὐτοῖς ἡ πᾶσα τῆς φιλίας σπουδὴ δι' ἔργων τε καὶ λόγων.

Τούτου δὲ οὐκ ἂν ἔχοι τις εὑρεῖν ἄλλο βέλτιον, οὔτε ἐν λόγοις λεγόμενον οὔτε ἐν ἐπιτηδεύμασι πραττόμενον. Οἶμαι δὲ ὅτι καὶ πάντα τῆς φιλίας ἀγαθὰ ἐν αὐτῷ περιέχεται.

Οὕτω γὰρ ἂν δόξειε τὸ συζῆν λέγεσθαι ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων, (τὸ κοινωνεῖν λόγων καὶ διανοίας,) καὶ οὐχ ὥσπερ ἐπὶ τῶν βοσκημάτων, τὸ ἐν τῷ αὐτῷ νέμεσθαι.

Sect.

Sect. 15. Ὅτι ἀεὶ ζητεῖ πράττειν μεγάλα, καὶ μεγάλων ἕνεκα, καὶ ὅθεν μεγάλη γίνεται τιμή.

ἀργός τις καὶ μελλητής.

μέγιστον τῶν ἀνθρωπίνων καὶ τῶν ἔξωθεν ἀγαθῶν, διότι καὶ τῷ θείῳ ταύτην ὑπονέμομεν.

τῆς ἀληθείας καὶ τοῦ δέοντος φροντίζων μᾶλλον ἢ τῆς δόξης.

Sect. 16. Ἐν ᾧδε πολλοῦ ἄξιον, τὸ μετ' ἀληθείας καὶ δικαιοσύνης εὐμενῆ τοῖς ψεύσταις καὶ ἀδίκοις διαβιοῦν.

Sect. 18. Εὐτονία ψυχῆς πρὸς τὸ ἐπιτελεῖν τὰ ἑαυτῆς ἔργα.

Ἕξις αὐτάρκη παρεχομένη ἐν τοῖς κατ' ἀρετὴν πόνοις.

Ἀνδρὸς ἀρετὴ ἐπιτηδευτικὴ κοινῶν ἔργων.

Sect. 20. τὸ ἐπὶ τῆς δοθείσης ὕλης ἑαυτὸν δίκαιον, σώφρονα, θεῷ ἑπόμενον ἀφελῶς παρέχειν.

Sect. 21. Ἕξις ψυχῆς μὴ ἀνεχομένη ὁμιλίαν φαύλων ἡδονῶν μηδὲ λόγων.

Sect. 22. Ἕξις ἀρκουμένη τοῖς συχοῦσιν.

Ἕξις ἀνυπέρατος ἐν δαπάναις καὶ παρασκευαῖς.

Εὐταξία περὶ σχῆμα καὶ κίνησιν σώματος.

Ἕξις ἀρκουμένη οἷς δεῖ, καὶ τὰ πρὸς τὸ ζῆν καθήκοντα ὁρίζουσα.

CAP. IX. *Sect.* 3. Σχεδὸν γὰρ ἔξω τῆς ἀνθρωπίνης φύσεώς ἐστιν ἡ τοιαύτη ἀναιδησία.

Sect. 5. κατὰ τὸ ἄριστον καὶ τὸ εὖ.

ἀλλὰ κατὰ τὴν οὐσίαν καὶ τὸν λόγον τὸν τὸν ὧν ἐστι λέγοντα.

ἐν τοῖς πάθεσι καὶ ἐν ταῖς πράξεσι.

Sect. 6. τὸ μέσον εὑρίσκειν καὶ αἱρεῖσθαι.

μέσον εἶναι ἢ μεσότητα.

Sect. 7. τὸ μέσον τοῦ πράγματος. τὸ μέσον τὸ πρὸς ἡμᾶς.

μεσότητα δύο κακιῶν, τὴν μὲν ἐλλείπουσαν, τὴν δὲ ὑπερβάλλουσαν.

Τὸ γὰρ ὅτε δεῖ, καὶ ἐφ' οἷς, καὶ πρὸς οὓς, καὶ οὗ ἕνεκα, καὶ ὡς δεῖ, μέσον τε καὶ ἄριστον ὅπερ ἐπὶ τῆς ἀρετῆς.

Sect. 8.

Sect. 8. Τὸ ἀγαθὸν μονοειδὲς, τὸ δὲ κακὸν πολυειδές. ἁπλοῦν τι καὶ μονοειδές.

Sect. 9. τὸ ἴσον, καὶ τὸ δέον, καὶ τὸ ἁρμόζον.

Τὰ γὰρ ἁρμόζοντα ἴσα ἐστίν.

Sect. 10. Τὸ δὲ μέσον ἐστὶν ὡς ὁ λόγος ὁ ὀρθὸς λέγει.

καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε.

Ἕξις μετὰ λόγου ἀληθὴς πρακτικὴ περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά.

Sect. 11. Ὁ γὰρ σπουδαῖος ἕκαστα κρίνει ὀρθῶς, καὶ ἐν ἑκάστοις τἀληθὲς αὐτῷ φαίνεται. καθ' ἑκάστην γὰρ ἕξιν ἴδιά ἐστι καὶ καλὰ καὶ ἡδέα. καὶ διαφέρει πλεῖστον ἴσως ὁ σπουδαῖος, τῷ τἀληθὲς ἐν ἑκάστοις ὁρᾷν, ὥσπερ κανὼν καὶ μέτρον αὐτῶν ὤν. τοῖς δὲ πολλοῖς ἡ ἀπάτη διὰ τὴν ἡδονὴν ἔοικε γίνεσθαι· οὐ γὰρ οὖσα ἀγαθὸν φαίνεται.

Οὐ γὰρ πᾶσαν ὑπόληψιν διαφθείρει οὐδὲ διαστρέφει τὸ ἡδὺ καὶ τὸ λυπηρὸν, οἷον ὅτι τὸ τρίγωνον δυσὶν ὀρθαῖς ἴσας ἔχει· ἀλλὰ τὰς περὶ τὸ πρακτόν.

Sect. 13. Τίς ἐστι κανὼν καὶ ὅρος τούτου τοῦ ὀρθοῦ λόγου, καὶ τίς ἡ προσήκουσα τῶν πρακτῶν ἀρχή.

Sect. 18. Χρὴ δὲ οὐ κατὰ τοὺς παραινοῦντας ἀνθρώπινα φρονεῖν ἄνθρωπον ὄντα, οὐδὲ θνητὰ τὸν θνητόν· ἀλλ' ὅσον ἐνδέχεται ἀπαθανατίζειν, καὶ ἅπαντα ποιεῖν πρὸς τὸ ζῆν κατὰ τὸ κράτιστον τῶν ἐν αὐτῷ.

Κράτιστον δὲ τῶν ἐν ἡμῖν ὁ νοῦς ἐστιν.

ὁ ἔρως ὁ νοερός.

CAP. X. *Sect.* 3. ἐν ὀλίγοις κεῖσθαι τὸ εὐδαιμόνως βιῶσαι.

ἐλεύθερος, καὶ αἰδήμων, καὶ κοινωνικὸς, καὶ εὐπειθὴς θεῷ.

Sect. 4. τὸ ἀληθὲς ἐν βραχεῖ κεῖσθαι.

Sect. 5. τῶν ἀναγκαίων καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἐχόντων.

Sect. 6. ἕξιν μετὰ λόγου ποιητικήν.

Sect. 7.

Sect. 7. πρίττά τινα καὶ θαυμαστὰ καὶ χαλεπὰ καὶ δαιμόνια.

ἐπιστήμην καὶ νοῦν τῶν τιμιωτάτων τῇ φύσει.

Καὶ γὰρ ἀνθρώπου ἄλλα πολὺ θειότερα τὴν φύσιν, οἷον τὰ φανερώτατά γε ἐξ ὧν ὁ κόσμος συνέστηκεν.

Sect. 8. γνῶσιν τῶν ἀρχῶν.

Sect. 15. Καὶ τὸ αὐτὸ ἀγαθὸν ζητεῖται καὶ παρὰ ἑνὸς ἀνθρώπου καὶ παρὰ πόλεως.

Sect. 17. Νῦν ἔστιν ὁ ἀγὼν, καὶ ἤδη πάρεστι τὰ Ὀλύμπια.

Sect. 18. Ἀτυχήματα δὲ θλίβει μὲν καὶ λυμαίνεται τὸν μακάριον, καὶ ἐμποδίζει πολλαῖς ἐνεργείαις, ὅμως δὲ καὶ ἐν τούτοις διαλάμπει τὸ καλὸν, ἐπειδὰν φέρῃ τις εὐκόλως πολλὰς καὶ μεγάλας ἀτυχίας ἢ δι' ἀναλγησίαν καὶ ἀναισθησίαν, ἀλλὰ γεννάδας ὢν καὶ μεγαλόψυχος. Εἰ γὰρ ἐν ταῖς κατ' ἀρετὴν ἐνεργείαις ἡ μακαριότης ἔστι τὸ εἶναι, καὶ αὗται κύριαί εἰσι τῆς τοῦ εὐδαίμονος ζωῆς, οὐδεὶς ἂν γένοιτο τῶν μακαρίων ἄθλιος, οὐδέποτε γὰρ πράξει τὰ μισητὰ καὶ φαῦλα.

Οὐκ εὔροιαν ἀεὶ ζητήσει ὁ μακάριος, ἀλλ' ἐκ τῆς παρούσης τύχης ἀεὶ τὰ κάλλιστα πράξει. καὶ διὰ τοῦτο ἄθλιος μὲν οὐδέποτε γένοιτ' ἂν, ἀλλὰ μονονοὺ μακάριος τῆς γε τύχης ἕνεκα, ἐὰν Πριαμικαῖς περιπέσῃ τύχαις.

οὐ μὴν μακάριός γε, ἂν Πριαμικαῖς τύχαις περιπέσῃ.

Sect. 19. Εἰ ταύτῃ τοῖς θεοῖς φίλον, ταύτῃ γενέσθω· Ἐμὲ δὲ Ἄνυτος καὶ Μέλιτος ἀποκτεῖναι μὲν δύνανται, βλάψαι δὲ οὔ.

LIB. III.

CAP. I. Ἔθει, ἢ φύσει, ἢ θείᾳ τινὶ μοίρᾳ.
Sect. 2. θείᾳ τινὶ εὐτυχίᾳ.
Sect. 3. ——————— οὐ γὰρ ἐῴκει
Ἀνδρός γε θνητοῦ παῖς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο.

Sect. 8. τὸ ἐν αὐτῷ ἔχον ἐξουσίαν τοῦ πράττειν, καὶ μή.

Ἃ δέ τις ποιεῖ ὑφ' ἑαυτοῦ κινούμενος, κύριός ἐστι τοῦ ποιῆσαι, καὶ μή.

Sect. 9. τὴν ἐξουσίαν τοῦ πράττειν, καὶ μή.

ἧ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθέκαστα ἐν οἷς ἡ πρᾶξις.

Sect. 10. ὄρεξιν βουλευτικὴν τῶν ἐφ' ἡμῖν.

Βουλευτὰ μὲν γάρ εἰσιν ὧν κύριος ἄνθρωπός ἐστι ποιῆσαι, ἢ μή.

CAP. II. Sect. 3. Οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς, οὐδ' ἄκων μάκαρ.

Πᾶς ὁ μοχθηρὸς ἀγνοεῖ.

Sect. 4. Πάντες μὲν γὰρ ἐφίενται τοῦ φαινομένου ἀγαθοῦ, τῆς φαντασίας οὐκ εἰσὶ κύριοι· ἀλλ' ὁποῖός ποθ' ἕκαστός ἐστι, τοιοῦτο καὶ τὸ τέλος φαίνεται αὐτῷ.

Sect. 5. Ὅτι μηδεὶς αὐτῷ αἴτιος τοῦ κακὰ ποιεῖν, ἀλλὰ δι' ἄγνοιαν τοῦ τέλους ταῦτα πράττει, διὰ τούτων οἰόμενος αὐτῷ τὸ ἄριστον ἔσεσθαι. Ἡ δὲ τοῦ τέλους ἔφεσις οὐκ αὐθαίρετος, ἀλλὰ φῦσαι δεῖ ὥσπερ ὄψιν ἔχοντα, ᾗ κρινεῖ καλῶς, καὶ τὸ κατ' ἀλήθειαν ἀγαθὸν αἱρήσεται. Καὶ ἔστιν εὐφυὴς ᾧ τοῦτο καλῶς πέφυκε. τὸ γὰρ μέγιστον καὶ κάλλιστον, καὶ ὃ παρ' ἑτέρου

μὴ οἷόν τε λαβεῖν μηδὲ μαθεῖν, ἀλλ' οἷον ἔφυ, τοιοῦτον ἕξει. Καὶ τὸ εὖ καὶ τὸ καλῶς τοῦτο πεφυκέναι, ἡ τελεία καὶ ἀληθινὴ ἂν εἴη εὐφυΐα.

Sect. 6. Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς.

Sect. 7. Πρὶν μὲν γὰρ νοσῆσαι, ἐπ' αὐτῷ ἦν τὴν ὑγίειαν φυλάττειν· προεμένῳ δὲ διὰ τῆς ἀκρατοῦς διαίτης, οὐκ ἔστιν ἐπ' αὐτῷ τὴν ὑγίειαν ἐπαναγαγεῖν. ὥσπερ λίθον μέν τις δύναται κατὰ πελάγους ἀφεῖναι, ἀφεὶς δὲ οὐ δύναται πάλιν ἐπαναλαβεῖν· ἀλλ' ὅμως ἑκὼν ἔρριψε τὸν λίθον· ἐπ' αὐτῷ γὰρ ἦν ῥίψαι, καὶ μή.

CAP. III. *Sect.* 3. Καὶ γὰρ αὐτός ἐστιν ἕκαστος τὸ κυριώτατον καὶ ἄριστον τῶν ἐν αὐτῷ· καὶ κατὰ τοῦτο ζῶν ἑαυτῷ ἂν βιώη καὶ τὸν οἰκεῖον μάλιστα βίον.

Sect. 6. Ὅτι ὁ Θεὸς, νομοθέτης ὢν ἅμα καὶ δικαστὴς, τίθεται μὲν τὰ ἀγαθὰ, ἀναιρεῖ δὲ τὰ κακά.

Σκοπὸς δὲ τοῦ νόμου μόνος ἂν εἴη πρέπων τῷ Θεῷ καὶ ἡμῖν ἐπωφελὴς, τὸ κόψαι τὸν κακίαν, καὶ ἀποκαθάραι τοῖς παντοδαποῖς τῆς δίκης σωφρονισμοῖς καὶ ἐπιστρέψαι τὴν ὑποπεσοῦσαν τῇ πονηρίᾳ ψυχὴν εἰς ἀνάμνησιν τοῦ ὀρθοῦ λόγου.

Sect. 9. ἐρωτικὸν ὄμμα.

Σύμμετρος γὰρ ταῖς οὐσίαις τῶν ὅλων καὶ ὁ τῆς προνοίας θεσμός.

Ὅτι δίκη καὶ τάξις τοῖς περὶ ἡμῶν ἀθανάτοις τοὺς ὅρους τῆς περὶ ἡμᾶς διοικήσεως νομοθετεῖ, ταῦτα μηχανᾶσθαι περὶ ἡμᾶς ἃ τήν τε ἐνταῦθα κακίαν ἡμῶν ἐλαττοῖ, καὶ πρὸς αὐτοὺς ἐπιστρέφειν ἡμᾶς δύναται. κήδονται γὰρ ἡμῶν ὡς συγγενῶν ἐκπεσόντων.

Sect. 10. καὶ θεοπρεπεῖ χαίρεσθαι φρονήματι.

ὥσπερ ἐπίπνοι καὶ κατεχόμενοι ὑπὸ τοῦ θεοῦ.

Sect. 11. Οὐ γὰρ ἧττον ἡ νοερὰ δύναμις πάντῃ κέχυται καὶ διαπεφοίτηκε τῷ σπᾶσαι δυναμένῳ, ἤπερ ἡ ἀερώδης τῷ ἀναπνεῦσαι δυναμένῳ.

Τὸ

Τὸ δὲ ἔνθεον φρόνημα διαπᾶς ἡδυσμένον σωφρο-
σύνῃ Θεῷ. Χαρᾶς γὰρ ἀνάγκη τὸ ὅμοιον πρὸς τὸ ὅμοιον.

Sect. 12. Μελέτημα σωφρ.

Sect. 14. ἀποκαθάρασιν εἰς τὸ κατὰ φύσιν.

Τὸ γὰρ οἰκεῖον τῇ φύσει ἑκάστῳ, τοῦτο κράτιστον καὶ ἡδι-
στόν ὅτιν ἑκάστῳ.

Sect. 15. Ἐπεὶ οὖν ὁ καλὸς ἀρετῶν βίος τῆς θείας
ὁμοιώσεως ἀντεχόμενος τοῦ ὄντι θείου ὄντος, ὃ δὴ ἐν καλῷ
δικαιοσύνῃ καὶ ἀληθείᾳ· δῆλον ὡς ἡ μὲν τῶν σωφρόνων ἡδο-
νὴ πρὸς θείαν εὐφροσύνην μιμεῖται νῷ καὶ Θεῷ συναπομέ-
πει, ἡ δὲ τῶν φαύλων ἡδονὴ λεγομένη πρὸς πρὸς δικαιοσύνῃ καὶ
ἐμπαλιν ὁμοιοῦται κίνησιν.

Sect. 16. Λόγῳ δὲ ὀρθῷ πείθεσθαι καὶ Θεῷ ταυτὸν ὄτι.
Τὸ γὰρ λογικὸν γένος ἐνομοιῶσαι τῆς οἰκείας ἐλλάμψε-
ως ταῦτα βέλεται ἃ ὁ θεῖος ὁρίζει νόμος· καὶ γί-
νεται συμφωνος Θεῷ ἡ κατὰ Θεὸν διακειμένη ψυχή, καὶ
πρὸς τὸ θεῖον καὶ τὸ λαμπρὸν ἀναβλέπουσα πρέπει ἃ ἐν
πρέπῃ ὁ Θεός.

Sect. 18. τὸ κράτιστον καὶ τὸ θειότατον τῶν ἐν ἡμῖν.

Sect. 20. Πᾶν τὸ βέλτιστον φανούμενον νόμος ἔστω
σοι ἀπαρέβατος.

Sect. 23. Οὔτε γὰρ μόνον προσυμεῖσθαι δεῖ τὰ καλὰ,
ὡς ἐν ἑαυτοῖς ὄντα κατορθῶσαι καὶ χρεὶς τῷ Θεῷ συναρ-
μόσαι, ὅτε ψιλῆς τῆς ἐυχῆς τοῖς λογισμοῖς ἀρκοῦσα, καὶ
μᾶλλον πρὸς τὴν τῶν ἀληθῶν προσφέροντας.
ὅτω γὰρ ἢ ἄθεον ἀρετῶν, εἰ οἷόν τε τοῦτο ἐνεῖναι, ὑπο-
πλυσόμεν, ἢ ἀνενέργητον ἐυχλόν. ὧν τὸ μὲν ἄθεον ὃν
προαιρεῖ ἡ ἀρετῆς ἡ ἕξιν, τὸ δὲ ἀργὸν ὁπλῦσαι τῆς ἐυ-
χῆς τὸ ὠφελήσιον.

Πειρᾶς σὺν τοῖς θεοῖς ἄρχεσθαι παντὸς ἔργου.

Ἐπὶ πάσῃ ὁρμῇ καὶ σμικρᾷ καὶ μεγάλῃ πρόγμαλος
θεὸν ἀεί τινα δεῖ προλέγειν.

Μέγας ὁ ἀγὼν, θεῖον τὸ ἔργον. τῆς Θεοῦ μέμνησο, ἐκείνου δικαιοῦ κοινωνὸν καὶ βραβέα τὸν, ὡς τοῦ Διοσκόρους ἐν χειμῶνι πλέοντες. Πῶς γὰρ μείζων χειμὼν ἢ ὁ ἐκ φαντασιῶν ἰουδαϊκῶν καὶ ἀκηρυκτῶν τῷ λόγῳ;

Sect. 24. τὸ λεπτὸν καὶ σκυθρωπικὸν ὄγκημα.

Sect. 25. Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσβάλοις

ξεῦαι

Πρὶν τὰ ἡμετέρων ἔργων πρὸς ἕκαστον ἐπελθεῖν·

Πῶς παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

CAP. IV. *Sect.* 2. Τῇ παρούσῃ φαντασίᾳ ἐμφιλοχωρεῖν, ἵνα μή τι ἀκατάληπτον παρεισρυῇ.

Τὸ ὅλον ἢ ὑπογεγραμμένον. ποιεῖ δὲ τῶν ὑποπιπτόντων φαντασθῇ, ὥστε αὐτὸ ὁποῖόν ἐστι καθ' ἑαυτὸ, γυμνὸν, ὅλον, εἰδέναι δυνήσεται βλέπειν.

καὶ τὰ κεκινημένα καὶ τὰ ἀκίνητα σκοπεῖν, καὶ ὅτι ἀπτέσθαι τῶν ἔργων.

Ἄνθρωπε, σπουδαῖον ἐπίσκεψαι ὁποῖόν ἐστι τὸ σπουδαῖον εἶτα καὶ πῶν σαυτῆς φύσιν κεφάλαιόν τε, εἰ δύνασαι ἐκτίσαι.

Νάρκε, καὶ μέμνασ' ἀπιέναι· ταῦτα γὰρ ἄρθρα τῶν φρενῶν.

CAP. V. *Sect.* 2. Τιμήσεις τὸν Θεὸν ἄριστα, ἐὰν τῷ Θεῷ τὴν διάνοιαν ὁμοιώσῃς. Ὁ γὰρ ἀγαπᾷ τις, τοῦτο μιμεῖται ὅσον αὐτῷ οἷόν τε.

Ἡ τῶν προσφερομένων πολυτέλεια τιμὴ εἰς Θεὸν οὐ γίνεται, ἐὰν μὴ μὲ τὸ ἐνθένδε φρονήματι προσάγηται. Δῶρα γὰρ καὶ δυσπολίαι ἀφερόντων πυρὸς τροφὴ, καὶ ἀναθήματα ἱερσύλοις χρήματα.

Ψυχῆς καθαρᾶς τόπον οἰκειότερον ὅτι γῆς Θεὸς οὐκ ἔχει.

Εὐσεβέστερον ἢ σοφοῖς γάνυμαι τόσον ὅσον Ὀλύμπῳ.

Sect. 3. Μόνῳ ἱερεὺς ὁ σοφὸς, μόνῳ θεοφιλὴς, μόνῳ εὐδὼς εὔξασθαι. Μόνῳ γὰρ οἶδε τιμᾶν ἢ Θεὸν ὀφείλει θείαν ἐπιστήμην ἔχων, καὶ ὁ προσηγμένος ἱερεῖον ἑαυτὸν

προσ-

προσάγων, καὶ ἄγαλμα θεῖον τεκταίνων τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, καὶ ναὸν εἰς ὑποδοχὴν τοῦ θείου φωτὸς τὸν ἑαυτοῦ παρασκευάζων νοῦν.

Sect. 6. τὰς ἀδαμαντίνους φύλακας τῆς ψυχῆς.

ἀλλὰ δεῖ φεύγειν τὴν πρᾶξιν πάσῃ δυνάμει, κἂν δέῃ ἀποθανεῖν πάντα παθόντα τὰ δεινότατα.

Sect. 9. Μὴ πνεῦμα μολύνῃς, μηδὲ βαθύνῃς τὸ ἐπίπεδον.

τὸ λεπτὸν ὄχημα, καὶ τὸ ἄϋλον σῶμα.

τὸ εἰδέναι σώζειν τὸ ὄργανον, καὶ συναρμόζειν πρὸς τὴν φιλόσοφον χρῆσιν.

Sect. 10. Δεῖ γὰρ σὺν τῇ ἀσκήσει τῆς ἀρετῆς καὶ τῇ ἀναλήψει τῆς ἀληθείας καὶ καθαρότητος, ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι τῶν περὶ τὸ αὐγοειδὲς ἡμῶν σῶμα, ὃ καὶ ψυχῆς λεπτὸν ὄχημα οἱ χρησμοὶ καλοῦσι. Διατείνει δὲ αὕτη ἡ κάθαρσις ἕως σιτίων καὶ ποτῶν καὶ τῆς ὅλης διαίτης τοῦ θνητοῦ ἡμῶν σώματος, ἐν ᾧ τὸ αὐγοειδὲς ἔγκειται, προσπνέον τῷ ἀψύχῳ σώματι ζωὴν, καὶ τὴν ἁρμονίαν αὐτοῦ συνέχον. ζωὴ γάρ ἐστι τὸ ἄϋλον σῶμα, καὶ ζωῆς ἐνύλου γεννητικὸν, δι' ἧς τὸ θνητὸν ἡμῶν σῶμα συμπληροῦται, ἐκ τῆς ἀλόγου ζωῆς καὶ τοῦ ὑλικοῦ σώματος συγκείμενον, εἴδωλον ὂν τοῦ ἀνθρώπου, ὃς ἐκ λογικῆς οὐσίας καὶ σώματος ἀΰλου συνέστηκεν.

Sect. 11. Ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ τῷ αὐγοειδεῖ ἡμῶν σώματι προσέφυ σῶμα θνητὸν ὄν, καθαρεῦσαι δεῖ καὶ τοῦτο, καὶ τῆς πρὸς αὐτὸ συμπαθείας ἀπαλλαγῆναι.

Sect. 12. Αἱ γὰρ τῆς λογικῆς ψυχῆς καθάρσεις καὶ τοῦ αὐγοειδοῦς ὀχήματος προμηθοῦνται, ὅπως ἂν αὐταῖς ὑπόπτερον καὶ τοῦτο γενόμενον μὴ ἐμποδὼν ἵστηται πρὸς τὴν ἄνω πορείαν. Πτεροφυΐα δὲ αὐτοῦ ἀρίστη ἡ κατὰ μικρὸν μελέτη τῆς τῶν περιγείων ἀποστάσεως, καὶ ὁ πρὸς τὴν ἀϋλίαν ἐθισμὸς, καὶ ἡ ἀπόθεσις ὧν ἂν ἐπλήσθη μολυσμῶν ἐκ

γῆς πρὸς τὸ ὑλικὸν σῶμα συζεύξεως. Διὰ τοῦτο καὶ ἀναβιώσεται πρόπον τινὰ, καὶ συλλήψεται, καὶ θείᾳ πνοῇ τόνου, καὶ τῇ νοερᾷ τελειότητι τῆς ψυχῆς συναπτεται.

Sect. 13. τὴν τῶν αὐχμειδῶς θεαμπείαν τῇ καθαρότητι τῆς ψυχῆς σύμφωνον ἀποδωῶαι.

Sect. 14. ——————Καὶ φράζευ ἕκαστα
Ἠνίοχον γναμπτὴν τήσας καθύπερθεν ἀρίστων.

Γναμπτὸν μὲν, ὅτι λογικὴ δύναμις· Ἠνίοχον δὲ, ὅτι ἡφαντομένου καὶ ἀπιστοῦσι τῷ σώματι. Τὸ δὲ ἐρωτικὸν ὄμμα ὑπὲρ ἡνίοχον τέτακται. Εἰ γὰρ καὶ μία ψυχὴ, ἀλλ' ὄμματα μὲν οἷον θεωρεῖ τὸ τῆς ἀληθείας πεδίον· τῇ δ' ἀναλόγῳ πρὸς χεῖρα δυναμένῃ τὸ συμφυὲς σῶμα καθέχειν, καὶ πρὸς ἑαυτὸν ἐπιστρέφει, ἵν' ὅλη πρὸς τὸ θεῖον ἴδῃ, καὶ τὸν θείαν ὁμοίωσιν κλήσηται.

CAP. VII. Sect. 3.——Πάντων δὲ μάλιστ' αἰσχύνου σαυτόν.

Sect. 4. Τὸ γὰρ ἐυμενὲς ἀνίκητον, ἐὰν γνήσιον ᾖ, καὶ μὴ στασιῶδες μηδὲ ὑποκρισις.

Ἐδόξεν αὐτῷ. Πᾶς ὁ μοχθηρὸς ἀγνοεῖ.

Sect. 5. ——Ἀεὶ ἀγαθὸς ἐς ἀγαθός.

CAP. VIII. Sect. 10. Ταῦτα τύνει, ταῦτ' ἐκμελέτα, τύπων χρὴ ἀρᾶν σε·

Ταῦτά σε τὴν θείης ἀρετῆς ἐκ ἴχνια θήσει.

CAP. IX. Sect. 6. Μὴ καθαρῷ γὰρ καθαρῶ ἐφάπτεσθαι ἐκ ἔστ θέμις.

Sect. 10. ——————Ἐκείνας πυεινὸν τῶν·

Ἔρχου ἐπ' εὐσεβίης ἀρετὸν καὶ σῶμα σαώσεις.

Sect. 11. Ὑγιὰ φρασὶν ἀμαχάρων, Μετὰ σοὶ τάδε μὴ τὸ λευκώλενον βιοῖας.

Sect. 12. Ὁ ἀγαθὸς καὶ ἁπλῆς καὶ εὐμηθὴς ἐν τοῖς ὄμμασιν ἔχει παῖπα, καὶ ἐ λανθάνει.

Sect.

Sect. 18. Πᾶν μοι συναρμόζει ὅ σοι ἐυάρμοστόν ἐστιν, ὦ κόσμε.

CAP. X. *Sect.* 1.——Μεθ' ὁμήγυριν ἔρχεαι ἤδη
Δαιμονίην ἐρατοῖσιν ἀναπνείουσαν ἀήταις.
Ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἔνι δ' ἵμερος ἁβρὸς ἰδέσθαι
Εὐφροσύνης πλείων καθαρῆς, πληρούμενος αἰὲν
Ἀμβροσίων ὀχετῶν θεόθεν· ὅθεν ἐστὶν ἐρώτων
Πείσματα, καὶ γλυκερὴ πνοιὴ, καὶ νήνεμος αἰθήρ.

Sect. 8. Ταράττει τοὺς ἀνθρώπους οὐ τὰ πράγματα, ἀλλὰ τὰ περὶ τῶν πραγμάτων δόγματα.

R 4 EPISTOLA

EPISTOLA

H. MORI ad *V. C.*

QUÆ

Apologiam complectitur pro *CARTESIO*, quæque Introductionis loco esse poterit ad universam *Philosophiam Cartesianam.*

Παῦλα ἐν τῷ παντὶ μηχανικῶς γίγνεσθαι παντελῶς ἀμήχανόν ἐστιν.

Editio tertia, omnium correctissima.

LONDINI,

Typis *J. Flesher*, & venalis prostat apud *G. Morden* Bibliopolam *Cantabrigiensem*.
M DC LXIX.

EPISTOLA
H. MORI ad *V. C.*

QUÆ
Apologiam complectitur pro *CARTESIO*, quæque Introductionis loco esse poterit ad universam *Philosophiam Cartesianam*.

---

1. REM magnam à me postulas, V. C. nempe ut de Philosophorum Triumviratu hujus seculi maximè insignium sententiam feram. Quorum quidem de duobus nihil planè statuere possum, utpote quos nondum perlegi; nec è re credo fore mea eos unquam perlegere. Miror equidem quòd ex me quæras quid de tertio illo sentiam, cùm præclaram illam opinionem quam de eo concepi plùs semel publicè testatus sim. Sed dum porrò scisciteris, quas potissimùm ob causas illius Philosophiam tam avidè sim amplexus, uberioris Responsi argumentum mihi suppeditat importunior illa interrogatio. Neque enim quæstio est una atque simplex, sed accusatiunculæ cujusdam aculeo præarmata, quasi Cartesiana omnia sine delectu admitterem & foverem.

1. *Non omnia se Cartesiana sine delectu amplecti.*

Verùm

Verùm multò aliter ſe res habet ac ſuſpicaris. Quamvis enim incomparabilis Philoſophus in Inventis ſuis ac Ratiociniis pleriſque omnibus adeò ſupra humanam ſortem felix ſit ac ingenioſus ut, quod ubique ferè præſtat, id nullubi eum non præſtitiſſe credere cogi videamur; me tamen Natura tam tardo ac hæſitabundo ingenio finxit, ut nullius mortalis authoritas mentis aciem ità potuerit unquam perſtringere, ut hoc faſcino devinctus eis Theorematis fidem haberem quorum veritas ſatis ſolidis argumentis non ſit ſuffulta, multò minùs eis quæ propriis animi ſenſibus ac rationi repugnant. Itaque breviter dicam; Tantum abeſt ut tam avidè Carteſiana omnia cruda cocta perinde devorem, ut liberè apud te profitendum cenſuerim, me in illius Scriptis obſervâſſe nonnulla quæ nullo pacto deglutire poſſum. Quæ operæ pretium fore exiſtimo tibi recenſere, ut poſtquam Carteſium perlegeris, quod brevi te facturum ſcribis, judicium tuum experiri poſſim, an de eiſdem Theorematis juxtà mecum ſentias.

2. *Ad tria ferè genera revocari quicquid uſpiam lapſus eſt Carteſius.*

2. Ad tria cauſarum genera revocare poſſumus quicquid uſpiam lapſus eſt Carteſius. Nimirum vel ad ſimplicem nudámve inadvertentiam, qualis in omnes ferè mortales cadere ſolet: Vel ad nimium ſive prudentiæ ſive honeſtæ cujuſdam aſtutiæ ſtudium, cujus haud adeò multi rei ſunt: Vel denique ad enormem quandam Mathematicæ certitudinis ac neceſſitatis in ſingulis ſuis concluſionibus affectationem; quò certè perpauci adhuc aſpirârunt in rebus natu-

naturalibus, nemo prorſus eò uſque pervenit, nec fortaſſis unquam eſt perventurus.

3. Ad primum genus referri potêſt modus ille quem explicat Refractionis, Dioptric. cap. 2. & ratio ſitûs imaginum in Reflexione, cap. 6. cum paucis aliis, de quibus forſan mox plura dicemus. 3. *Primi generis exempla.*

4. Secundi generis duo inſignia occurrunt exempla. Primum eſt, explicatio naturæ Motûs, quem dicit ſemper eſſe reciprocum. Quæ quidem notio manifeſtis contradictionibus mihi ſemper viſa eſt involvi. Maluit tamen hoc modo *obſcurare verbis ſcientiam*, quàm non videri minus motûs tribuere terræ quàm aut Copernicus tribuit aut Tycho; imò omnem motum illi adimere, ut majorem gratiam Philoſophiæ ſuæ conciliaret, ſibique meliùs caveret ab eis hominibus apud quos inveterata conſuetudo cæcáque authoritas plus valet quàm luculentiſſima quævis demonſtratio. Manebat enim proculdubio altæ menti infixum durum illud Galilæi fatum, qui tam liberos circuitus terræ tribuendo circa Solem, libertatem ſibi ademit ſuam, greſſúſque proprios intra carceris limites circumſcripſit. 4. *Exempla ſecundi.*

Alterum exemplum eſt de brutis animantibus, quas inanimes Machinas inſenſatáque Automata eſſe fingit. Quod lepidum commentum neceſſe erat comminiſci, nè brutorum animas pariter ac noſtras ex ſua philoſophandi ratione concluderet immortales. Cùm enim firmiter teneret nè viliſſimum quidem cogitandi actum cadere in Materiam qualitercunque modi-

dificatam, ſi agnoviſſet ſenſum ineſſe brutis, debuiſſet etiam concedere ſubſtantiam ipſis ineſſe realiter à materia diſtinctam, hoc eſt, animam immortalem. Senſu igitur maluit bruta privare, quàm ſe ſinere inſenſatorum & captioſorum hominum odioſis quæſtiunculis de brutorum ſtatu poſt mortem irretiri & torqueri.

Huic generi accenſeri debet quod obiter profert Princip. part. 3. Art. 2. de non inveſtigandis finibus earum rerum quas in Naturæ complexu videmus. Quo monito proculdubio ſibi præcavit ab importunis illis ſciſcitationibus quas malè-feriati homines urgere poſſent de univerſo genere tam Cometarum quàm Planetarum, uti etiam de Stellis, quas totidem quaſi Soles eſſe ipſe planè agnoſcit. Admodum enim proclive erat porrò interrogare, in quem finem tot Soles creâſſet Deus, quibúſve lucerent. Et, cùm in Planetis omnibus (utpote qui eandem ferè originem, ab incruſtatis ſcilicet ſolibus, eundémque productionis modum, habuerint) ſit terra, mare, aër, magnes, aurifodinæ, &c. quærere inſuper, annon etiam tum bruta animalia, tum nobiliores illi incolæ, homines, ſingulis ineſſent. Tranſcurrentes denique Cometas hoſpitiúmque ſibi in aliquo Vortice quærentes, annon credibile ſit novorum ipſos Terrarum orbium eſſe jacta rudimenta. E quibus ſpinoſis quæſtionibus facillimè ſe expedire poſſe ſperabat Carteſius, maturè præmonendo tam profundum eſſe Dei conſilium in Naturæ operibus, ut ſummæ ſit temeritatis fines eorum inveſtigare. Novit enim homo naſutiſſi-

ſutiſſimus, potiorem multò eſſe ignorantiæ ſimulationem, quàm intempeſtivæ venditationem ſcientiæ.

5. Ad tertium genus ſpectat id quod adhibet ad demonſtrandum Rarefactionem & Condenſationem fieri ad modum ſpongiæ: nempe Diſtantiam, ſive Spatium, ac Corpus idem eſſe realiter, nec ullam ullubi fingi poſſe Extenſionem quæ non ſit realis affectio alicujus corporis. Quod fundamentum magnopere Carteſio placuit, quoniam certitudine, ſi fieri poteſt, pluſquam Mathematicâ ſuum Rarefactionis & Condenſationis modum confirmat; ac præterea totam doctrinam de immenſis numero ac magnitudine Vorticibus, déque particulis primi elementi in infinitum diviſis, mirificè ſuffulcit. Mihi verò Fundamentum illud non arridet ullo modo. Tum quòd rationes illæ quas pro eo adducit Carteſius non ſatis validæ ſunt, prout fusè in literis meis probavi; tum quòd innuit materiam aut per ſe independenter exſiſtere, aut ſaltem ab omni æternitate ſimul cum Deo exſtitiſſe, neceſſariò ab ipſo productam eíque coævam. Quorum prius cum vera Dei notione planè ἀσύστατον eſt, poſterius durum ac temerarium. Quamvis non ſit diffitendum fuiſſe ſemper, atque etiamnum eſſe, qui utramvis opinionem cum Dei Exſiſtentia cultúque religioſo ſeriò conjungunt.

5. *Tertii exempla.*

Porrò, ad morbum hunc Mathematicum ſummæque certitudinis pruriginem reducenda eſt & illa Carteſii de concluſionibus ex Mechanica Motûs neceſſitate, per univerſam ſuam

am Philoſophiam, perpetuò deducendis magnifica Pollicitatio. Neque enim putabat Vir ſagaciſſimus ſe ſatis ſecurum de certitudine eorum modorum quibus Naturæ Phænomena fieri aſſerit, ſi Divina conſilia (quæ variis modis eadem Phænomena exhibere poſſint) cum Materiæ Motûſque legibus miſcerentur. Sed ingens hic ardor atque ſtudium deducendi ſingula ex certa hac atque inevitabili Materiæ lege, Motûſque ejuſdem menſurâ in univerſo Mundo ſemper permanentis, generoſum Carteſii ingenium ità effaſcinavit, ut non rarò præproperè nimis imaginatus ſit ſe id præſtitiſſe, quod tam efflictim ubique præſtare deſiderat. Omiſſis aliis, unum duntaxat, ſed præfulgidum maximique momenti, producam exemplum, nempe de efformatione particularum ſtriatarum, earundémque motu. Tantum enim abeſt ut neceſſariò fiant eo modo quo ille rem explicat, ut valde improbabile videatur, imò forſan impoſſibile, eas ità efformari, aut formatas ejuſmodi legibus moveri.

* Vide Tranſ. Gallic *Et que ces trois canaux ſont plus ou moins tournez, à proportion de ce qu'elles paſſent par des endroits qui ſont plus ou moins eloignez de cet eſſieu, à cauſe que les parties du ſecond element tournent plus vite en ces endroits plus eloignez qu'aux autres plus proches.*

Intorſionem enim particularum ſtriatarum ex motu globulorum Vorticis per quem tranſeunt oriri aſſerit, magiſque vel minùs intortas eſſe pro celeritate motûs globulorum circa axem Vorticis circumvolutorum; eas nempe quæ longius, magis, quæ verò propiùs abſunt ab Axe, minùs intorqueri; quemadmodum conſtat ex * Artic. 90, & 91. tertiæ part. Princip. Philoſophiæ. Sed nulla prorſus videtur Mechanica neceſſitas ut columellæ illæ triangulares communi Vorticis raptu in gyrum vertantur

circa

circa proprios axes. Idem enim hîc experiri poſſemus in qualibet materia, præſertim in rotunda pariter ac longa, poſitâque in tubo vel canali aliquo Telluris axi parallelo. Hanc enim nemo ſomniaverit ex raptu terræ in circuitum, circa proprium itidem axem in canali ſuo gyratum iri. Pari igitur, ſi non potiori, ratione intelligamus triangulares illas particulas in columnæ formam productas communi Vorticis motu circumagi, nec tamen interim ſibi ullos proprios gyros acquirere ex hac circumactione. Nam æquè certum eſt (ídque certitudine prorſus mechanicâ) omnes globulos ab axe Vorticis illâ circumrotationis vi repelli, quàm gravia omnia craſſáque corpora versùs centrum terræ remitti; ità ut omne ſubterfugium hinc præcludi videatur inania reſponſa comminiſcenti. Quibus addas vel ipſam figuram harum columnarum triangularium magno fore impedimento iſtis propriis ipſarum gyrationibus quas fingit Carteſius. Nam ſimul ac lentor ille materiæ ſatis ſit induratus ad retinendam hanc formam triangularem, anguli columellarum adeò erunt robuſti ob craſſitiem ſuam ut haud facilè ſiverint ſe intorqueri. Recto igitur, ſed celerrimo, curſu pergent triangulares hæ columnulæ per ſpatia illa triangularia ſine ulla ſui intorſione, modò continuâ ſerie ſpatiorum anguli in eiſdem ferè reperiantur lineis.

Quòd ſi anguli horum ſpatiorum triangularium in eiſdem lineis non reperiantur, ſed anguli & latera alternatim ſe mutuò ſecent,

(quod ſanè factu facilius videtur, globulis eo ſitu in formam ſtabiliorem magiſque compactam relabentibus;) videamus tandem an hoc modo res feliciùs ſuccedet, exſiſtétque ulla Mechanica neceſſitas ut dictæ columnulæ in formam cochlearem torqueantur. Supponamus igitur materiam primi Elementi tranſeundo per ſpatium triangulare A B C ſibi acquiſiviſſe figuram triangularem, ipſi verò hoc modo formatæ proximè occurrere



alterum ſpatium triangulare D E F, angulis ſuis prioris latera ſecans, ſi eo nempe ſitu committerentur. Profectò longè abeſt ut intorqueantur hæ particulæ eis legibus quibus intorqueri contendit Carteſius. Nam tametſi Materia ſubtiliſſima ſimul ac ſatis lentuerit formam neceſſariò acquirat triangularem tranſeundo, putà per A B C; præ teneritudine tamen conſiſtentiæ ſuæ motûſque celeritate vix credibile eſt quin, dum impingit hæc columnula in D E, E F, F D, latera trianguli

D E

DEF, abradat prorſus & deperdat omnem illam materiam quæ continetur angulis a A a, b B b, c C c, fiátque indè non triangularis, ſed ſexangularis, penéque rotunda; unde & contorſionis neceſſitas illa Mechanica planè periret. Et certè ſi daremus productos illos angulos columnulæ triangularis alliſione illâ non abradi, ſed protuberantiâ globulorum, qui ſuccedens triangulare ſpatium claudunt, inverti duntaxat & intorqueri, (quod tamen, ut dixi, ob celeritatem tranſitûs recénſque formatæ particulæ teneritudinem nullo modo eſt probabile,) ſequeretur tamen nihilominus rem admodum eſſe fortuitam quas in partes hæ columnulæ intorqueantur, nempe an ſecundùm ordinem Vorticis G H, an verò contrá. Nam cùm globuli ætherei proximè ſibi adjacentes ſint ejuſdem magnitudinis, triangularia illa ſpatia æqualia erunt æqualitérque ſe interſecabunt, ità ut angulus A, dum impingit in latus F D, in ipſum medium lateris neceſſariò cadat; & ſic de reliquis. Unde nulla ſuppetit ratio quare columnæ illæ triangulares intorqueantur versùs H magis quàm versùs G, & vice versâ: Ac proinde meritò concludi poſſit, particulas ſtriatas nunc hàc nunc illàc in efformatione ſua torqueri, nec omnes ab eodem polo venientes in eaſdem partes eſſe intortas. Quo quidem pacto everterentur penitùs notiſſimæ illæ Magnetiſmi leges, Mundíque Phænomena mutarentur. Quamobrem neceſſe eſt altiorem aliquam cauſam & diviniorem quàm Materiam Motúmque purè Mechanicum ad hoc opus adſciſcere,

ſi tam affabrè, tam conſtanti artificio, ínque tam utiles fines deſtinato, cochlearem in formam columnulæ illæ triangulares ſint torquendæ.

Idémque ſtatuendum eſt de curſu & tendentia ipſarum hoc modo jam intortarum. Nam ad certas partes lege certâ pergere ſupponuntur, quæ tamen Mechanica eſſe non poteſt. Ut quando tranſeunt per Materiam ſubtilem ſideris jam cortice incruſtari incipientis, aut jam ferme incruſtati; niſi hîc vis aliqua directrix Mechanicâ divinior ſtriatarum curſum regat ac moderetur, impoſſibile eſt quin ab axe ſideris latera versùs rejiciantur, alterâque extremitate eò porrectâ corticem feriant lineâ ad axem ſideris non parallelâ, ſed ad angulos ſaltem obliquos eum ſecanti: Incredibile enim eſt alteram extremitatem ſtriatarum particularum alteri ut plurimùm non præponderare magíſve ſolidam eſſe. Hoc ſaltem manifeſtum eſt, cùm hæ ſtriatæ ſimul cum ſidere circumrotentur, neceſſe fore, ob rapidiſſimos materiæ ſubtiliſſimæ gyros, ut ab axe recedant, confertímque versùs eas ſideris partes quæ propiùs abſunt ab Ecliptica retrudantur; unde maxima vis Magnetiſmi versùs Telluris Æquatorem, nulla ferè versùs Polos, reperiretur. Quòd ſi minùs pura jam evaſerit Elementi primi Materia, contractíſque ſordibus aliquantulùm lentuerit, particulæ ſtriatæ tam longo itinere motum ſuum perderent, viam ſibi findendo per hunc Materiæ lentórem craſſiorémque conſiſtentiam.

Sed concedamus rectè hîc omnia intus peragi

ac

ac feliciter, videamus quid fiat de his ſtriatis particulis cùm integro impetu exſiluerint foras. Certè mihi credibile non eſt, ſi nullam aliam vim haberent moderatricem præter legem purè mechanicam, eas tam proſpero exitu reditúque curſus ſuos repetere poſſe. Nam ut omittam quàm facile ſit particulas Auſtrales in foramina Borealia & Boreales in Auſtralia impingere, illíſque impactionibus meatus magneticos (præſertim dum teneri ſunt recénſque formati) turpiter deformare; id certè mihi videtur ſupra omnem Mechanicæ legem poſitum, quòd factis quaſi agminibus tam conſtanti curſu revertantur à Polo ad Polum, & in liberum ætherem non rectà proficiſcantur ut jacta ſpicula vel ſagittæ. Mechanicis enim legibus magìs conſonum eſſet ut viam ſibi perforarent per aerem, (etiamſi eum fingeremus aliquantò craſſiorem,) motúmque ſuum ac vim hiſce conatibus impendendo perderent, quàm ut, datâ quaſi operâ, reditum molirentur, curſúmque ad alterum polum tam longè diſtantem dirigerent. Nam cùm ſemel è partibus Terræ magneticis in aerem ſe projecerint, clauduntur protinus aeris partibus omnimodè conſimilibus, ut quæ proximè ſibi invicem adjacent. Unde manifeſtum eſt, nihil corporei in cauſa eſſe poſſe cur hæ particulæ, homogeneis undique aeris partibus iſthoc modo involutæ, hàc potiùs erumperent quàm illàc, aut quòd reverti mallent quàm rectà viam conficere, vel in ſublime ferri; ſed ſubeſſe altius aliquod Principium & divinius quod errantes

revocet, quódque motus cursúsque earum in fines certos & destinatos ubique moderetur & gubernet.

Postremò, ad κυμινοπριστίαν hanc sive μικρολογίαν Mathematicam referre poteris cautum illud ac scrupulosum Principium, viz. Quòd nè tantillo quidem plus minúsve motûs sit in rerum Universitate uno tempore quàm alio. Quod nullis, quod sciam, rationibus defendi potest nisi precariis vel fictis. Cujus generis duæ mihi occurrunt. Prima est, nec Genios nec Animas humanas materiam posse movere, sed motus ejus duntaxat versùs hanc vel illam partem determinare; cùm planè gratis dictum sit Essentiam ullam activam ac operativam, qualis ab omnibus æstimatur substantia spiritualis, habere vim coërcendi, sistendi ac gubernandi materiam motam, & tamen nè minimam quidem vim unquam habere posse eandem ullatenus movendi. Altera est, Corpus quod alteri corpori motum imprimit, quantum illi motûs imprimit, tantundem de suo semper perdere, partémque quam perdit eandem numero in alterum corpus transire: quod credo me, si vacaret, ex speculatione Potentiarum, quas vocant, Mechanicarum facillimè posse refutare. Sed cùm hæc de eodem prorsus, tam numero quàm mensurâ, motu in Mundo semper permanente opinio ad quosdam Cartesii sequaces magìs quàm ad ipsum pertineat, illis potiùs quam ipsi impingenda est hæc temeritatis culpa.

Vides tandem quàm non omnes illas dapes quibus

quibus tam lautè amicos ſuos excipit Carteſius promiſcuâ ingluvie devoro.

6. Poſtquam igitur hanc ſuſpicionem dilui, libenter quæſtioni reſponderem, ſi verba ſenſúmque paulùm mutaveris. Utique ſi mihi non exprobraveris tam avidos Inventorum Carteſianorum arctóſque amplexus, ſed interrogaveris ſolummodo quare profiteor me tanto cum ſtudio & voluptate Philoſophiam evolvere Carteſianam. Habeo enim in promptu multa quæ reſpondere poſſum. *6. Cur tantopere ſibi indulget lectionem Philoſophiæ Carteſianæ: Prima Ratio.*

Primò enim, nullus dubito quin omne id quod appellit ad ſenſus noſtros à Mundo ſenſibili (hoc eſt, ab externis Objectis, quæ *Phænomena* vulgò vocantur, quibúſque ſenſus noſtri afficiuntur) nihil omnino ſit aliud quàm motus corporeus aliter atque aliter ex magnitudine, figura, ſitúque partium Materiæ modificatus. Quod manifeſtò patebit omnes ſenſus ipſorúmque objecta percurrenti.

De tactu palàm eſt, qui non afficitur niſi alicujus corporis preſſione, adfrictione, impactione ſive illiſione, & ſimilibus. Porrò, quòd id quod admovetur corpori noſtro videatur molle vel durum, calidum vel frigidum, & id genus reliqua, motui tribuendum eſſe æquè manifeſtum eſt. Saccharum enim, ſaxa & ferrum, attritione confracta & in tenues pulviſculos comminuta, mollia fiunt; Aqua verò, ex motûs privatione partiúmque unione ac quiete in glaciem compacta, dura. Unde conſtat duritiem conſiſtere in firma unione quieſcentium partium, mollitiem in earum disjunctione, mo-

dò satis tenues sint, majorémque fore mollitiem si motus tenuitati accesserit: quod fusè, si opus esset, demonstrari posset. Eandem etiam esse rationem de calido & frigido ex eo liquet, quòd motu ad hunc vel illum gradum adsurgente calor excitatur, & remisso illo motûs gradu vel diminuitur vel tollitur: Quemadmodum clarè videmus in aqua bulliente super ignem in vase posita. Quin & ipsius ignis naturam in vehementissima particularum agitatione consistere ex eo planè deprehendimus, quòd maximam partem pabuli sui in flammam, quæ vehementi motu agilique vibratione sursum fertur, absumit, ipsósque cineres in minutissimas partes disjungit, unde & ipsi molles aliquatenus evadunt. Pari ratione reliquæ qualitates tactiles ex natura motûs explicari possent: sed id justi voluminis, non unius Epistolii, opus esset.

Cùm autem de tactu constet, quòd nihil id sit aliud quàm motus corporeus quod ipsum afficit; securi esse possumus idem contingere in gustu, cùm & ipse sit tactus quidam, (etiam a- * *De Anima*, l. 2. c. 9. stipulante *Aristotele,) illiúsque perceptiones fiant ex Objecti atque Organi contactu corporeo, varientúrque ex variis motûs effectis in objecto. Omnes enim cibi ex aliis atque aliis ignis ministeriis (cujus naturam in vehementiori particularum agitatione consistere modò probatum est) alios atque alios sapores sibi adsciscunt, variisque modis gustum afficiunt. Quod æquè verum est de Medicamentorum tam saporibus quàm viribus. Utraque enim ignis arte

(qui,

(qui, ut ſæpius dixi, nihil aliud eſt quàm motus quidam Materiæ modificatus,) augentur, minuuntur, variantur. Eſt autem & ipſe Sol ignis, cujus itidem calore fructus terræ omnes maturitatis gradus ſubeunt.

Et quod ad odoratum attinet, quamvis non videatur hîc eſſe idem ille Organi Objectíque contactus, ſenſationem tamen motu corporeo fieri ex eo conſtat, quòd odores vento feruntur ad nares,& ſubindè divertuntur. Unde palàm eſt eos eſſe particulas quaſdam aeri innatantes, & odoratûs organo impingentes. Quod adhuc manifeſtiùs apparet in ſuffumigationibus, ubi agitatione ignis odores majori copiâ excitantur fortiúſque nares feriunt.

Soni etiam ab aere tranſvehuntur, deflectuntur corporum obſtaculis, & ab adverſis ventis impediuntur. Unde planè ſuam produnt naturam,indicántque ſe eſſe certos quoſdam motus per aerem tranſmiſſos. Quod etiam planiùs apparet ex ipſorum generatione. Nunquam enim auditur ſonus niſi ex aliquorum corporum colliſione: Quemadmodum palàm eſt tam in Animalium vocibus, & in pulſandis inflandíſve inſtrumentis Muſicis, quàm in inconditis quibuſlibet ſtrepitibus & fragoribus. Ipſa etiam Echo huic veritati accinit, quæ nihil aliud eſt niſi ſonus à corpore aliquo concavo repercuſſus, ſive reflexus. Quid autem, quæſo, à corpore reflecti poteſt quod ipſummet non ſit corpus? Sonus igitur nihil aliud eſt quàm motus quidam aeris, Echo autem nihil præter motûs hujus reverberationem.

Quem-

Quemadmodum verò ex Echo deprehendimus ſonum motum eſſe quendam corporeum; ità pari ratione concludere poſſumus id quod ad oculos noſtros appellit ab Objectis viſibilibus nihil eſſe aliud præter hujuſmodi motum diſtinctis quibuſdam legibus modificatum. Nam ſpecies illas viſibiles, quas vocant, à corporibus reflecti apud omnes eſt in confeſſo. Nihil autem à corpore reverberari poſſe niſi corpus, jam monuimus ex ſe ſatis eſſe manifeſtum. Univerſim igitur verum eſt, Senſationem nihil eſſe aliud niſi motûs corporei perceptionem, aut ſaltem ſine iſtiuſmodi motu nunquam excitari.

Cujus quidem Theorematis (quod obiter moneo) inſignis eſt utilitas ad eos refutandos qui ſpecificas neſcio quas ſomniant Materiæ differentias, fingúntque certas particularum congeries, omni figuræ, motûs, ſoliditatis ſitûſque vi ſepoſitâ, ex ſola ſpecificâ ſua natura immediata & immutabili varia illa Mundi Phænomena ſenſibus noſtris exhibere. Nam planè conſtat ex prædictis, aliiſque id genus quamplurimis quæ adjici poſſint, tum ſpecies hujuſmodi materiales omnes ſubindè mutari, tum ſenſus noſtros non aliter ab ipſis affici quàm per certas figuræ, motûs, magnitudinis ſitûſque leges in ipſis particulis.

Et certè quod ad prius attinet; Nemo qui hujuſmodi ſpecificas differentias in Materia fingit, niſi temerè & abſque omni ratione philoſophari velit, negare poteſt quin quæ, ſenſu judice, maximè diſcrepant, ſpecie etiam eadem

dem oporteat differre. Jam verò, quæ major, obſecro, differentia ſenſibus noſtris unquam occurrit, quàm quæ Stellam inter & opacam hanc Terram, quam calcamus, intercedit? Quod præclarum eſſet argumentum demonſtrandi eandem numero materiam ſpecies quàm maximè oppoſitas ſubire, ac proinde Materiam nullubi ſpecie differre, ſi Hypotheſis Carteſiana de mutatione Stellarum in Planetas nuda Hypotheſis non eſſet, ſed agnita veritas. Hoc enim pacto conſtaret, quodlibet corpus terreſtre, quantumvis durum & craſſum, ex ſubtiliſſima omnium materia (quæ ex ramentis globulorum æthereorum, ubique, utì patet ex uniformi luminis perceptione, homogeneorum, originem duxit) conflatum eſſe, &, ſi arte quidem non poſſit, ſaltem Naturâ & Temporum Fatorúmque ſerie in eaſdem minutias deteri poſſe ac diſſolvi. Cæterùm ut Hypotheſes miſſas faciamus, ſuccedaneam ſanè ac ferme æqualem vim habet ſolida illa macularum Solis obſervatio, quæ proculdubio ex ſubtiliſſimis illis particulis fiunt ipſo æthere tenuioribus. Quin & quæ cominùs conſpiciuntur idem teſtantur, ut craſſorum corporum, putà ſebi, ceræ, ligni in tenues ſplendentéſque flammas tranſmutatio; quemadmodum & graminum herbarúmque in ſanguinem, carnem, oſſa, pelléſque bovinas vel ovinas converſio. Gramina enim, ſi ſenſus noſtros conſulamus, ab iſtis animalium partibus immane quantum differunt, ac proinde, juxta ſuprà dictum poſtulatum, ſpecificé.

Quod

Quod verò ad alterum illud ſpectat, de particulis Materiæ ſpecie diſtinctis, quaſi ſolâ hâc ſpecificâ virtute Phænomenon varietatem ſenſibus exhiberent, motu, ſitu, quiete, figurâ, cæteríſque Materiæ modificationibus ſecluſis; abunde mihi refutatum videtur ex prædictis obſervationibus, quibus clarè conſtabat, Omne id quod ad ſenſus noſtros appellit motum eſſe corporeum aliter atque aliter ex magnitudine, figura & ſimilibus partium Materiæ affectionibus modificatum. Nec opus eſt quicquam huc adjicere, poſtquam animadverteris quàm manifeſta hujus veritatis inſtantia è natura luminis & colorum eluceſcat. Lumen enim oriri ex motu indè patet, quòd, ſi vehemens ſit aut propinquum, calor ſenſibilis ipſum comitetur. Colores autem non eſſe ſpecificas quaſdam qualitates, ſed motum certis legibus modificatum, conſtat ex Iride & Priſmate; quandoquidem nec in roridis illis nubium guttis, nec in ipſo priſmate, utpote diaphanis, ullus inſit color, ſed lumen certis modis refractum reflexúmve in iſtam colorum varietatem degenerat. Quod manifeſtum eſt indicium nec ullos ſpecificos colores corporibus opacis ineſſe, ſed lumen ab eorum ſuperficie aliter atque aliter, pro ſitu exteriorum particularum, reflecti, quo mutato colores protinus mutantur: utì conſtat in ære, ferro, aliiſque metallis, quorum ſuperficies colorem mutant aquis corrodentibus vel ſalinis aeris particulis impetitæ & fodicatæ. Quippe quòd neceſſe ſit, quòd particularum

cularum ſitus ſaltem, ſi non figuræ, in ſuperficie æris ferríve hâc inſulturâ atque impetu mutentur, globulíque ætherei aliter ab ære, putà, nitenti, ab ærugineo aliter, reflectantur.

Quamobrem cùm tam clarè conſtet omnia mundi Phænomena, quatenus ſenſibus noſtris pateſcunt, motu perfici, certè ille mihi veriſſimas Philoſophiæ leges obſervare videtur qui tam accuratè cauſas horum Phænomenon & tam profundè ſcrutatur, ut præcisè nobis enarret quo ſitu, quâ tenuitate, quibúſque particularum figuris, motus illi omnes qui variè ſenſus noſtros afficiunt modificantur. Hoc autem ſtupendum in modum nobis præſtitit à me nunquam ſatis laudatus Carteſius.

7. Præterea, nemo quiſquam eſt qui Materiæ Motûſque naturam vel mediocriter intellexerit, qui non planè viderit ex eo ſolo quòd Deus certum Motûs gradum (eundem putà quem in Mundo jam experimur) Materiæ impreſſerit, quòd varia indè Phænomena ſint emerſura. Fieri enim non poteſt quin ea motûs menſura materiam ità diffringat & in exiles minutias conterat ut, quanquam quædam dura, (id enim ex minori motûs gradu alicubi contingeret,) alia tamen mollia, quædam ſenſui frigida, alia calida, alia planè ignea apparerent. Credóque Deum ex deſtinato duobus hiſce ſimpliciſſimis rerum Principiis liberos ſuos vagóſque gyros ſemper permiſiſſe, quamdiu intra illos limites continerentur qui æquè commodi rerum Naturæ forent, atque 7. *Ratio ſecunda.*

ſi ipſorum impetus diviniori quadam vi ac lege compeſcerentur; ut eò magis adblandiretur ingenio humano rerum naturalium contemplatio.

Phyſicum enim puto eſſe neminem qui, ſi mentem propoſitúmque ſuum probè noverit, non agnoſcet ſe cauſas rimari effectrices rerum corporeas, eáſque, ſi fieri poteſt, longiori ſerie deductas, nexúque neceſſario concatenatas. Quales certè nullæ reperirentur, ſi naturalibus & in ſe neceſſariis motûs corporei legibus Deus, intermediante ſuperiori aliquâ virtute, ubique ſedulò obſiſteret: Nulliúſque cauſæ efficientis inveſtigatio eſſe poſſet niſi immaterialis, nobíſque minimè omnium intelligibilis; qualis eſt Peripateticorum forma ſubſtantialis, quæ eâdem ferè notione pariter ac nomine per res ſingulas pervagatur, nihílque nobis indicat præter ignorantiam noſtram ac nugacitatem, quos non puderet interroganti de Aqua, Igni & ſimilibus, quid & unde ſint, elatis ſuperciliis reſpondere, Ignem & Aquam Aquam eſſe & Ignem, ex eo quòd formæ quædam ſubſtantiales, quæ Ignem & Aquam conſtituunt, è gremio Materiæ in neſcio quas Materiæ partes prorepſerint, eóque pacto duo illa elementa Mundo exhibuerint. Apage frivolas iſtas ac otioſas nænias, quibus omnis humani ingenii induſtria conſopitur & ſufflaminatur, omníſque ejus ſagacitas & acumen retunditur & inutile redditur! Non tam torpidum naturalis Contemplationis objectum nobis propoſuit Deus: ſed tantum neceſſariis Motûs

tûs ac Materiæ legibus prudenter permiſit quantum ad perſcrutandas rerum naturalium cauſas nos excitare, & inventarum voluptate delinire, poſſit. Adeò ut non ſit ubique neceſſe ad cæcum illud ignaviæ & ignorantiæ aſylum confugere, *internas* ſcilicet *formas ſubſtantiales*. Quis enim qui inter Philoſophos nomen ſuum profitetur rogatus de Lunæ phaſibus, de eclipſibus utriuſque Luminaris, ſi, omiſſis apertis illis ac neceſſariis Matheſeos ac Naturæ rationibus, reſponderet ea omnia proficiſci ex internis Lunæ Soliſque principiis formiſque eſſentialibus, quæ faciunt ut certis temporibus Sol juxtà ac Luna lumine privetur, Lunáque ſtatis vicibus ſub hac vel illa phaſi videatur, quis, inquam, eſt è Philoſophorum grege qui tam frigidè & jejunè reſpondens non altis cachinnis ab omnibus exciperetur?

Quid autem faceret miſellus hic homuncio, ſi de Planetarum ſtationibus, directionibus & retrogradationibus fieret quæſtio? Neque enim recipere ſe poteſt ad Hypotheſin Ptolemaicam, utpote quæ manifeſtiſſimis ſcatet contradictionibus, utì omnes jam nôrunt qui vel primoribus labiis rem Aſtronomicam delibârunt. Succedat igitur Tychonica, ubi in libero æthere Planetæ omnes gyros ſuos perficiunt; & rogemus hunc noſtrum quid in cauſa ſit, cur Mars, Jupiter & Saturnus, poſtquam feſtinantiùs perrexerint ſecundùm ordinem Signorum, mox tanquam obtutu tacito defixi derepente ſubſiſtant, poſteáque, quaſi jam in memoriam revocâſſent rem aliquam

cujus

cujus obliti fuerant, inopinatò recurrant. Prò-culdubio eâdem semper oberraret chordâ, dicerétque id fieri ex internis horum Planetarum formis quas ipsis à prima creatione indiderat Deus, omnésque eorum lusus, progressus, regressus & stationes eis naturales esse ex principiis suis constitutivis, quemadmodum motus deorsum lapidi motúsque sursum igni connatus est. Præclarum quidem Responsum, talísque Responsoris ignaviâ & insciti nequaquam indignum! Dimisso igitur Nugatore hoc nugacissimo, experiamur quomodo huic quæstioni satisfieri possit ex apertis & confessis Materiæ Motûsque legibus, quales Naturæ Artíque Mechanicæ planè communes esse meritò statuit Cartesius.

Venerem citra ultráque Solem circuitus suos peragere ex ipsius phasibus constat; eadémque ratio est de Mercurio. Martem autem, Jovem & Saturnum circa Solem ferri nemo adhuc dubitavit. Hos igitur quinque Planetas circa Solem ire & redire manifestum est. Quærendum est deinceps an moventur viam sibi secando per materiam ætheris, an motu ipsius ætheris circumvehuntur. Primum autem non fieri ex eo liquet, quòd tam celeres Planetarum transitus materiæ cœlestis resistentia impediret, perderéntque pauxillo tempore motum suum fluido ipsum ætheri communicando. Reliquum est igitur ut circumvehantur ipsius ætheris motu, totáque materia cœlestis, cui innatant, Vorticis instar circa ipsum Solem torqueatur. Investigemus tandem quid de Terra fiat, quæ proculdubio intra limites hujus Vorticis invenitur. Stabítne

bitne illa in rapido hoc flumine, an movebitur? Quibus autem uncis, quibus funibus & anchoris, in profundo hoc mari detinebitur? Sed fingamus eam vi aliquâ ſupernaturali & immateriali ſtabilem & defixam. Deus bone! quantas procellas excitabit hoc contra ſanctiſſimas Naturæ leges Admiſſum! Cœleſtis enim Materia rapidiſſimi Torrentis inſtar Telluris faciem tanto inſultu impetúque affligeret, ut animalia, arbores, turres, omniáque prorſus ædificia dirueret, ſecúmque abriperet, imò univerſam terram decorticaret, & ſaltem ad metallicas uſque regiones penitùs diffringeret, abruptáſque partes, ad modum infandi naufragii, ſecum in vaſto hoc ætheris pelago tranſportaret. Terram igitur oportet permittere, juxta Naturæ Motûſque leges, cum reliquis Planetis æthere quietè innatantibus circa Solem circumduci.

Et nè fortè interim de Luna ſis ſolicitus; cùm certum ſit eam circa Terram perpetuò ſingulis menſibus tanquam aſſiduam illius pediſſequam circumcurrere, nec id fieri poſſe niſi ope Vorticis, quemadmodum jam demonſtratum eſt; neceſſe eſt ut Luna peculiari Vortice circa Tellurem circumferatur. Cujus in medio cùm ſit ipſa Tellus, omnéſque illius poros materia cœleſtis, quæ in hunc particularem Vorticem torquetur, pervadat, fieri non poteſt per leges Naturæ quin ipſa Tellus hujus Vorticis vi in gyros circa proprium axem rapiatur. Ut ſummatim igitur dicam, Impoſſibile eſt, ſi motûs corporei leges conſulamus, quin Terra diurno illo motu annuóque feratur quibus eam ferri olim docuit Ethi-

nicorum sapientissimus Pythagoras, cujúsque doctrinam ante seculum unum & alterum Nicolaus Copernicus in lucem revocavit.

Vides ex quàm perspicuis simplicibúsque Principiis vel inviti ducimur ad eam Hypothesin, (si modò Hypothesis illa dicenda sit quæ reali Naturæ compage necessariò continetur,) quâ positâ rationes & causæ non possibiles vel probabiles, sed necessariæ & ineluctabiles, omnium ferè Phænomenon quæ Astronomorum ingenia per tam multa secula torserant manifestò deteguntur. Non enim magìs necessariò corpus nostrum in Sole umbram projicit, quàm ex hoc rerum quod demonstravimus systemate Pythagorico nota illa Planetarum Phænomena omnia, quæ mox ordine breviter recensebimus, consequuntur.

Cujusmodi sunt, Motus Saturni, Jovis, Martis, Mercurii, Veneris, in Epicyclis suis; quâ tamen interim supellectile Sol destituetur.

Quòd dicti illi quinque Planetæ sint directi, stationarii, & retrogradi in Epicyclis suis; cùm tamen Luna in suo Epicyclo nec stationaria videbitur, nec retrograda.

Quòd circuitus Epicyclorum Saturni, Jovis & Martis eam habeant ad motum Solis rationem, ut semper perficiantur eo temporis spatio quod elabitur ab una singulorum conjunctione cum Sole ad alteram; quódque in singulis istis conjunctionibus cum Sole reperiantur in Apogeis Epicyclorum, oppositionibus verò in eorundem Perigeis.

Præterea, Periodos Epicycli Saturni celerio-

res

res fore quàm Jovis,& Jovis quàm Martis; Martis verò Retrogreſſiones majores fore quàm Jovis, Joviſque quàm Saturni.

Porrò, quòd Venus ac Mercurius nunquam procul diſtent à Sole, centráque Epicyclorum utriuſque Soli videantur ἰσόδρομα.

Poſtremò, hiſce omnibus addas Phænomena ex motu Terræ diurno emergentia; Stellas nempe Planetáſque omnes, quamvis immenſis ſpatiis & à Terra & à ſe invicem diſtantes, viginti tamen quatuor horarum ſpatio circa terram ineffabili celeritate impetúque contrario retorqueri.

Quorum Phænomenωv omnium, necnon aliorum quorundam, ſimplex hæc Pythagoræ Hypotheſis (quam veram eſſe tam certi eſſe poſſumus, quàm quòd folia quæ ab arbore in fluvium decidunt ſecundo, non adverſo, flumine feruntur) tam evidentes & neceſſarias cauſas exhibet, ut nemo niſi planè ſtupidus & delirus de eis poſſit dubitare, niſi Deum datâ operâ Naturæ leges turbare, cùm non opus ſit, fingere vellet. Quod quàm ſit inſulſum figmentum ſatis ſuprà demonſtravimus.

Tandem perſpicis, V. C. quàm pulchra ſit & apprimè grata humano ingenio hæc philoſophandi ex immutabilibus & neceſſariis Naturæ legibus petita ratio: quo in genere cùm Carteſius cæteros mortales infinitis paraſangis antecelluerit,

Qui genus humanum ingenio ſuperavit,& omnes
Præſtinxit, ſtellas exortus uti æthereus Sol, Lucret. *de Rerum natura lib.*3.

minimè mirari debes ſi aliquantò frequentiorem

scriptorum ipsius lectionem mihi soleo indulgere.

8. *Tertia Ratio.* 8. Veruntamen quamvis admodum certus sim aliquammulta Naturæ Phænomena ex Mechanicis legibus demonstrari posse; nihil tamen æquè persuasum habeo quàm non omnia, imò nè millesimam quidem eorum partem, eo modo posse explicari. Primò enim, si ex eo solo, quòd Deus ad certum aliquem gradum Materiam agitaverit & in motum civerit, totius Mundi fabrica facta fuerit, plantis brutorúmque corporibus, imò & hominum, non exceptis; creatio Universi Benignitati solummodo Divinæ ac Omnipotentiæ, exclusâ illius Sapientiâ, esset tribuenda. Nisi quis fortè putaret, non minoris esse sapientiæ ex consilio talem Mundi Materiam creâsse quæ ex solis Mechanicæ legibus necessariis in hanc rerum formam pulcherrimam emergeret, quàm aliam aliquam quæ innumeris aberrantium motuum correctionibus & castigationibus indigeret.

Deinde, hæ motuum leges adeò simplices sunt, idémque ferè ubique præstantes, ut incredibile prorsus videatur miram hanc rerum varietatem indè posse oriri. Quid enim præstat motus ullubi nisi quòd rectà pergat, aut saltem rectà pergere conetur? quòd pars materiæ ab altera parte reflectatur, aut eam secum auferat, partémque sui motûs ipsi communicet? quòd denique in varias minutias diffringatur magnitudine, figurâ, situ distinctas? Diffringe igitur, si lubet, corpus quodvis durum, & pistillo in pulverem contunde: mox adhibito microscopio singulos pulviscu-los contemplare. Videbis, proculdubio, pulviscu-

lorum

lorum figuras à ruderum fragmentis nihilo differentes, nisi quòd minores sint; nec primi terrestrisque elementi particulas à pulviſculis hiſce differre, nisi quòd ipſis adhuc multò ſint minores. I nunc & judica quàm bellæ rerum formæ ex cæcis confuſorum horum fragminum concurſibus, alliſionibus & coalitionibus oriantur; quali artificio illa depingent aut papilionum alas aut caudas pavonum. Ut nihil dicam de ſuspendo Divinæ Mentis conſilio in formando internas omnium animalium partes: ubi nihil ineptè admiſſum eſt, ſed ſingula tam accuratâ arte perfecta, ut neceſſe ſit agnoſcere Principium aliquod Materiâ motúve corporeo longè ſanctius ac divinius huic provinciæ invigilare. Quamvis enim concederemus (quod tamen ego nullo modo concedam) viliora quædam animalcula hoc modo produci poſſe; tamen omnes animalium ſpecies ſic eſſe productas, nullâſque interim à tam cæco & fortuitò principio ineptè eſſe formatas, omnino eſt impoſſibile; quemadmodum copioſè demonſtravi in Tractatu adversùs Atheos.

Quamobrem ex eo, quòd quædam Phænomena exhibere poſſit ſimplex Materiæ motus, omnia hoc pacto præſtari poſſe confidere, abjectiſſima quædam ὑλολατρεία, i. e. ridicula & ſuperſtitioſa quædam Materiæ cæcæ adoratio & cultus, mihi videtur, non legitima philoſophandi ratio. Qua de re cùm ſemper fuerim ſatis perſuaſus, certè ex lectione Carteſii jam evaſi omnium perſuaſiſſimus. Neque enim dubito, quantum ingenium humanum præſtare poſſit

ex Mechanicis rerum rationibus, incomparabilem hunc Philoſophum præſtitiſſe. Deprehendo tamen eum magnis illis pollicitis de perpetua concluſionum certitudine ex neceſſariis Mechanicæ legibus deducendarum ſæpiuſcule excidiſſe, ídque in reddenda ratione rudiorum generaliorúmque Naturæ Phænomenωv· neque enim ultra illos limites adhuc proceſſerat. Quid igitur eum fuiſſe facturum putemus, ſi tentâſſet humani corporis vel alíus alicujus Animalis generationem ex eis ſolis principiis demonſtrare?

Sive vacillet igitur *Carteſius*, ſive firmiter figat pedem, utrumque ſanè mihi perjucundum eſt Spectaculum. Nam ſi incedit firmiter, ſpeculationem hoc pacto neceſſariam puréque naturalem nactus ſum: Si titubat, id etiam in lucro pono. Hoc enim non parùm facit ad veritatum Metaphyſicarum certitudinem, & ad demonſtrationem Eſſentiæ à Materia prorſus diſtinctæ. Nam ſi iſtiuſmodi in Mundo inveniuntur Phænomena quorum generatio Materiæ leges excedit, neceſſe eſt ut introducamus Principium immateriale & incorporeum, quem vulgò Spiritum appellitant. Ad quam vocem quàm exhorreſcunt, tanquam pueri ad ſpectrum, barbati quidam ac grandævi hujus ſeculi Philoſophaſtri, nemo eſt qui ignorat.

9. Quarta. 9. Sed nequa fiat injuria mirando Carteſii ingenio, quamvis omnia per univerſam illius Philoſophiam nexu hoc Mechanico planéque neceſſario non cohæreant, ità ut unam perpetuam ac congenerem catenam exhibere poſſint; fatendum eſt tamen, non paucas hujuſmodi inveni-

veniri catenulas verè aureas affabréque factas; ex quibus omnibus, non nudis quidem Materiæ legibus, ſed diviniori aliquâ vi coarctatis & ligatis, pulchra ſanè ſatiſque firma concluſionum omnium ſit concatenatio. Verbi causâ, Quamvis certi eſſe non poſſimus ex legibus Mechanicis ſtriatas illas particulas ſolâ Vorticis contorſione formari, quemadmodum jam diximus; facilè tamen ſupponere poſſumus, (niſi ὑλομανίᾳ quadam correpti eouſque inſanire velimus, ut audacter affirmemus omnia prorſus Univerſi Phænomena, nè ſtirpibus quidem, necdum animalibus, eâ conditione exemptis, ſolo motu corporeo fieri,) facilè, inquam, poſſumus ſupponere vim aliquam virtuti illi analogam, quâ animales fœtus (ſive matrum in utero, ſive in Telluris communis omnium parentis matrice) tam admirabili artificio efformantur, in cœlo juxtà ac in terra regnare, id eſt, Divinam Providentiam nullis locis aut ſpatiis excludi, ſed ubique præſtò eſſe paratámque ad attenuatæ ſubactæque Materiæ motus ità moderandos, ut nihil ullubi omittatur aut fiat quod non cedat aut in utilitatem aut in ornatum Univerſi: atque ex hac vi (ſive Animam, cum Carteſio, illam appellare malles, ſive Spiritum) ubique & omnibus ſedulò proſpiciente, effectúſque ſuos præcipuos in ſubtiliſſimis & fluidiſſimis Materiæ partibus exhibente, cochleares illas particulas (ſine quibus Axis terreſtris paralleliſmus, Tempeſtatum cardines, Magnes, Navigatio, Gentium commercia ſtare non poſſint) maturè fuiſſe efformatas.

Evictâ autem earum efformatione, vel suppositâ, cætera omnia quæ tradit egregius Philosophus, usque ad locupletissimas illas de virtutibus magneticis demonstrationes, mirificè inter se consentiunt. Quamvis nollem vel hîc fidem dare Universa Mechanicâ planè necessitate ubique concatenari, prout illi prædixi. Sed è contrà, ut dicam summatim, suspicor potiùs in Phænomenis pleriisque omnibus producendis, ubi conspicitur satis magna partium multiformitas conspirans in insignem aliquam utilitatem aut pulchritudinem, rudes Materiæ impetus cæcásque propensiones & tentamina à divina illa virtute semper gubernari ac perfici. Nam quod ad Halones Iridesque spectat, & id genus reliqua quæ suam habent pulchritudinem, à causis simplicissimis fiunt; nec ea partium varietas, quam diximus, ullo modo in eis reperitur. Multò plus meretur admirationis illa quæ vel oculum vel ardentem lampadem referre videtur, Pavonis pluma. Cujus artificium tot distinctis filis, tot & tam amœnis coloribus, nunc intermissis nunc resumptis, támque scitè attemperatis ad efformandam diversicolorem illam Ellipsin, constitit; ut tam operosum effectum bruto Materiæ motui vel casui, non consilio, tribuere extremi mihi videatur stuporis aut dementiæ.

Eadem igitur rerum series quæ reperitur apud Cartesium tutò agnosci potest, sed non eadem ubique hujus seriei connexio. Necesse enim est ut subindè se intermisceat Divina illa Mundi rerúmque generandarum Gubernatrix Providentia.

10. Quam-

10. Quamvis autem id à Carteſio non ſit præſtitum quod à nullo mortali præſtari poſſe pro certiſſimo habeo, nempe ut cauſæ rerum omnium naturalium uno tenore congenerique ſerie à capite ad calcem deducantur, nullâ aliâ interpoſitâ vi præter mechanicam illam prorſuſque corpoream, cujus effectus cognoſcere procul dubio pura puta illa Naturæ ſcientia habenda eſt: tamen in immenſam Gentis philoſophicæ voluptatem pariter ac commodum hoc ſaltem accuratè perfecit, ut clarè ſcilicet intelligamus immediatas cauſas effectrices, eáſque congeneres ſemper puréque corporeas, omnium ferè rerum ſenſibilium quas tractat. Quæ certè difficilis eſt provincia, & quam nulli præter eum ſuſcepere quos non meritò pœniteret eam unquam ſuſcepiſſe. Perſentiſcis tandem ob quàm multas gravéſque cauſas tanti facio Carteſium. 10. *Quinta Ratio.*

11. Sed ut nihil te celem, una adhuc mihi ſupereſt peculiaris ratio, quæ, quamvis forſan aliis admodum paradoxa videri poſſit, apud me tamen non parùm gratiæ conciliat Philoſophiæ Carteſianæ. Eſt autem illius cum Moſaica Mundi creatione conformitas. Rem miram, inquies, narras. Sed, mihi crede, valde veriſimilem. Nam, quod nôſti, Pythagoram ſuam ſapientiam à Judæis mutuatum fuiſſe conſtans ſuſtinuit fama. Præterea, exſtiterunt per ſingula ferè ſecula qui operam dabant applicandis nunc his nunc illis Philoſophiæ principiis textui Moſaico. Quo autem ſucceſſu mallem alii judicent quàm ego. Communibus igitur omnium ſuffragiis 11. *Ratio ultima.*

giis exſpectandus eſt illic ſenſus aliquis Philoſophicus; addo, Moſe Deóque dignus. Neque enim vilia ac puerilia ſanctiſſimo illo Literæ velamine abſcondiſſe credendum eſt intimum illum Dei ſapientiſſimi Amicum, ſed tam ampla, tam auguſta & tam fulgida, ut meritò verendum eſſet vulgi oculos ea ferre non potuiſſe. Moſem tamen ejúſque poſteros, Prophetas intelligo & Sacerdotes, cum probatiſſimis quibuſque maximéque cordatis tum ſuæ tum aliarum gentium hominibus ea liberè communicâſſe.

Hanc Cabbalam à Judæis acceptam, numeríſque ſingulorum dierum opera adumbrantibus involutam, magni fecit Pythagoras; nec ſivit Arcanum in vulgus emanare, quamvis fortè de eo diſcipuli ejus ſymbolicis iſtis numeris ſenſum tegentibus vel apud imperitos aliquando garrire non recuſarent. Nucleum igitur ſibi ſervantes, putaminis fragmina ἀμυήτῳ populo projecerunt; quæ alii riſu, ſtomachatione alii, alii ſuſpicaci quadam veneratione exceperunt; indéque quàm plurimas numerorum & appellationes & virtutes verè Pythagoricas literis mandârunt. Quorſum autem iſta omnia? inquies. Breviter tibi dicam. Equidem mihi videor horum corticis fragminum ope nucleum ipſum inveniſſe ac recuperâſſe. Dum enim Moſaicæ creationis ſenſum Philoſophicum ſeriò meditabar, oculis hinc indè, nunc in veriſſima quælibet, quod judicare potui, Philoſophiæ principia, nunc in Textum ipſum conjectis, revera nulla invenire potui quæ tam examuſſim Moſaicæ paginæ congruerent quàm illa Carteſiana.

Tria

Tria ejus Elementa, non numero solùm sed & naturis eorum haud obscurè indigitatis, ibidem contineri deprehendi. Tellurem etiam observavi circa Solem circumvolvi, imò verò eam cum reliquis Planetis ejus esse naturæ tanquam si ipsi olim fuissent Soles. Ex materia denique cœlesti Terram, Lunam, cæteráque astra universa generari. Quæ omnia, pro tenui illa quâ polleo vocum Hebraicarum peritia, in Defensione *Cabbalæ* meæ *Philosophicæ* Mosaico Textui ità convenire demonstravi, ut nemo sit, modò tam certus esset de Philosophiæ Cartesianæ veritate quàm plures se profitentur de Principiis Aristotelicis, quin statim agnoscat me verissimum fidissimúmque egisse Interpretem. Quòd si postea animadverterit quàm exactè Pythagoricorum illorum numerorum & nominibus & virtutibus res illæ congruant, quas singulis diebus adjudicavi, novum certè argumentum, neque id leviſſimum, ad Philosophiæ Cartesianæ fidem faciendam se reperisse exsultanter gaudebit, mirabitúrque operosissimum hoc ingenii humani inventum divino calculo tam clarè esse comprobatum. Ipse tamen hujusmodi demonstrationibus non audeo nimiùm confidere. *Conjecturam* malui appellari, nihílque prorsus statui; sed maturis sapientissimorum virorum judiciis rem totam permisi.

12. Quod ad vagos illos susurros ac rumores spectat quos spargi ais de Cartesio, quasi de Deo non rectè sentiret, nihil eos moror. Novi enim maximorum ac liberrimorum ingeniorum perpetuum ferè fuisse fatum à semidocto vulgo Atheismi

12. *Cartesium injustè ab imperito vulgo Atheismi insimulari.*

theismi esse suspecta. Nec tamen diffiteor in illius scriptis paucula reperiri quæ vel ab invidis vel imperitis in eam partem nimis facile possint torqueri: qualia sunt tria illa præcipué viz.

13. *Qualia sunt quæ potissimùm hujus criminis eum suspectum reddunt.*

13. Primum, Implicare contradictionem Spatium vel Extensionem dari quæ revera non sit corporea; quo tamen morbido dogmate ipsas etiam Scholas laborare memini me observâsse.

Alterum, Ex Mechanicis motûs Materiæ legibus omnia Naturæ Phænomena esse demonstranda.

Postremum, Fines Phænomenôn ab ingenio humano non esse indagandos.

Quæ tria tam pravo aspectu subdolóque nictu sese mutuò contuentur, ac si Deum ac Providentiam è Mundo exturbare seriò conspirarent. Sed nihil prorsus ab eorum aut consiliis aut viribus est metuendum. Primam enim illam opinionem ipse satis copiosè ac solidè refutâsse mihi videor in Literis meis ad Cartesium. Alterius verò, Tractatûs mei adversùs Atheos pars secunda perpetua est & inexpugnabilis Confutatio. Sed aliter respondi atque institui. Dico igitur eum non ex morbo aliquo Atheistico, sed, prout * suprà monui, solummodo ex effræni quodam prurito omnia concludendi certitudine planè Mathematicâ, priores illas duas, ex nimio autem prudentiæ studio, opinionem tertiam tenuisse: neque opus esse hisce diutiùs immorari, cùm ex † suprà dictis ipse tibi possis plenissimum colligere Responsum.

* *Sect.* 2. & 5.

† *Sect.* 2. & 3.

14. *Quòd Ex-*

14. Quod porrò addis, quosdam submussitare, eum

cum causam illam quam suscepit, Exsistentiæ Dei Animæque immortalitatis demonstrandæ, datâ operâ prodidisse, suspicio est omnium injustissima & contumeliosissima. Nam quod ad Dei Exsistentiam attinet, primum illud argumentum quod adhibet non solum omnium optimum est quæ ratio humana excogitare potest, sed revera absoluta perfectáque demonstratio, & cui maximè confisus est Cartesius, prout videre est alicubi in Responsionibus suis Metaphysicis. Unde palàm est eum duo illa altera (quæ minùs firmiter concludunt, nec tamen suâ probabilitate carent atque acumine) primo huic, nè solum in campo stare videretur, in pompam potissimùm succenturiâsse.

sistentiam Dei demonstratione perfectissimâ probavit.

15. In demonstranda autem Animæ immortalitate vix latum quidem pilum aberravit; cúmque tam propè scopum attigerit, nullo modo dubitare possum quin constanter crediderit se revera eum attigisse. Cui confidentiæ vim insuper addidit illud ingenii sui fatum, quo ità addictus erat virtutibus Materiæ Mechanicis contemplandis, ut nihil in ea somniare quidem potuerit præter motum localem, situm, figuram & similia: unde securus erat cogitationem toto cœlo ab eis differentem alii alicui substantiæ esse tribuendam.

15. *Quòd in demonstranda Animæ immortalitate tam propè scopum attigit, ut certum sit illum firmiter eam credidisse immortalem.*

16. Porrò, piæ ac generosæ illæ ad Animam suam hortationes ac gratulationes paulò ante ejus exitum, quibus eam monebat de ferendo morbo cum patientia, & de exspectando liberationem ex hoc corporis ergastulo cum gaudio, abunde testantur eum seriò de Animæ immortalitate fuisse philosophatum.

16. *Huic consonare dicta ejus pia ac generosa supremo instanti fato.*

17. Qui-

17. *Multa occurrere in ejus Philoſophia quæ Dei exſiſtentiam Animæque immortalitatem neceſſariò inferunt.*

17. Quibus omnibus adjici poteſt, tam de Dei exſiſtentia quàm de conditione Animæ (niſi Illum exſiſtere, Hanc verò ſubſtantiam eſſe crediderit à Materia planè diſtinctam) quàm plurima in illius ſcriptis occurrere, (ubi tamen abſque omni aſtu fucóve eum agere ipſæ circumſtantiæ ſatis arguunt,) quibus ipſe ſibi pugnare manifeſtò deprehendatur: Cujuſmodi ſunt,

1. Materiam ubique unam eſſe perfectéque homogeneam.

2. Ex eo nos certos eſſe quòd non fallimur ubi clarè ac diſtinctè rem percipimus, quòd non fortuitò nati ſumus, ſed à benigniſſimo Deo creati.

3. Subſtantiam eſſe quæ ſuâ vi exſiſtit, ac proinde Deo ac creaturæ non univocè competere, materiæ tamen mentíque noſtræ competere univocé.

4. Cogitationem ſubſtantiam intelligentem, Extenſionem corpus conſtituere. Et quemadmodum motus localis, ſitus, figura, ſunt modi corporis; ità imaginationem, memoriam, voluntatem, eſſe modos ſubſtantiæ cogitantis.

5. Imaginationem eſſe duplicem, corpoream & incorpoream; illam ope cerebri mentem noſtram exſerere, hanc abſque illius ope.

6. Libero nos pollere arbitrio, in ejúſque uſu legitimo veram conſiſtere generoſitatem.

7. Per imaginem quandam non magnam ſanè, ſed tamen in varias partes extenſam, Conarióque impreſſam, objectorum nos viſibilium perceptionem habere.

8. Menti noſtræ ineſſe quaſdam non à ſenſibus hauſtas, ſed ipſi planè connatas, notiones communes rerúmque ideas.

9. De-

9. Denique, quòd alio prorſus modo concipimus magnitudines, figuras; alio dolores, colores, & ſimilia.

Quæ omnia partim cum Dei exſiſtentia, partim cum Animæ à corpore diſtinctione reali, tam intimè conjuncta ſunt, ut niſi planè deliraverit Carteſius, impoſſibile ſit quin utramque ex animo tenuerit.

Nam quod ad primum attinet, manifeſtum eſt ex lumine Naturæ, ſimplicibus ejuſdem ſpeciei ſubſtantiis eaſdem prorſus genere ac gradu proprietates competere. Quemadmodum igitur certi ſumus cuilibet circulo cujuſcunque magnitudinis eandem ubique eſſe rationem diametri ad peripheriam; ità eaſdem eſſe in qualibet Materiæ particula proprietates ſecuri eſſe poſſumus. Quamobrem, ſi Materia immediatè ex ſua natura movetur, continuò ſequetur, Omnem Materiam, ſaltem ſi nullâ vi detinetur, eodem motûs gradu agitari. Unde neceſſe eſſet ut Terra reliquíque Planetæ liqueſcerent in materiam ſubtilitate & fluiditate aeri ſaltem, ſi non ætheri, parem; vel potiùs, ut nunquam in tam craſſam conſiſtentiam coaluiſſent. Palàm eſt igitur Materiam ex ſe quieſcere, quod & apertè mihi profeſſus eſt perſpicaciſſimus Philoſophus in ſuis ad me Literis. Unde impoſſibile eſt quin animitùs agnoſcat omnipotentem aliquem Materiæ motorem Deum: Imò & Animæ noſtræ à corpore realem diſtinctionem, niſi & omnem prorſus Materiam ſentire vellet; quod valde ridiculum eſſet, tantóque Philoſopho indignum.

Deinde,

Deinde, alterum illud principium tanti facit, ut seriò agnoscat ipsum certitudinis illius, quam credit se habere de omnibus suis naturalium rerum demonstrationibus, præcipuum esse fundamentum; prout videre poteris Princ. Philos. part. 4. Art. 206.

Hæc autem si rectè pensitaveris, modúmque scribendi distinctum & sobrium quem adhibet (Part. 1. Art. 51, 52, 53, 54.) debitè observaveris, non suspicaberis eum Theorema tertium quartúmque lusu vel joco, sed bonâ fide, descripsisse; præsertim si insuper cogitaveris, minimè esse probabile eum Metaphysicæ suæ compendium Philosophiæ principiis præattexere voluisse, nisi sensisset hoc pacto universa uno quasi filo, eóque tenacissimo firmissimóque, cohæsura.

Quinta conclusio planè Platonica est, quæ est Philosophia omnium religiosissima. Atque reliquæ quatuor ejusdem ferè generis sunt, claréque arguunt aliquid Materiâ longè præstantius longéque divinius in nobis habitare.

18. *Tredecim loca in Epistolis eò d m spectantia.*

18. Plurima huc possim accumulare quæ passim in Epistolis ejus occurrunt, quorum nonnulla operæ esse pretium duco tibi recensere, ut indè perspicere possis quàm ubique sibi constans unúsque sit Cartesius. Hujusmodi sunt,

1. Animam videre, non oculos.

2. Animam ex unione cum corpore quædam bona majora sibi repræsentare quàm revera sunt.

3. Liberum nostrum arbitrium nos Deo quodammodo æquiparare. Ad Reginam Sueciæ Epist. 1.

4. Quòd

4. Quòd minus ſit damni vitam perdere quàm uſum Rationis, quoniam ipſa Philoſophia ſola, etiam ſine Fidei documentis, ſpem nobis ingenerat melioris ſtatûs poſt mortem, facítque ut Anima noſtra nihil æquè oneroſum fore præſagiat quàm tali corpori alligari quod ſuam prorſus adimat libertatem.

5. Duo eſſe voluptatum genera; unum quod ad Animam ſolam, alterum ad Hominem, i. e. ad animam quatenus corpori unitam, ſpectat. Has fluxas eſſe & caducas; illas, quemadmodum ipſa Anima, immortales.

6. Quòd tria potiſſimùm cognitu neceſſaria ſunt ad beatam vitam; Exſiſtentia Dei, Animarum noſtrarum Immortalitas, & Immenſitas Univerſi. Ad Elizab. Princip. Epiſt. 6.

7. Animam, quando datâ operâ cogitat de rebus imaginabilibus pariter ac intelligibilibus, novâ ſignare cerebrum impreſſione; eámque reſpectu animæ actionem eſſe, non paſſionem, propriéque hanc dici Imaginationem.

8. Providentiam Dei omnia complecti, tàm minima quàm maxima. Ad eandem, Epiſt. 8.

9. Amorem duplicem eſſe, vel Intellectualem, vel Corporeum: hunc propriè paſſionem eſſe, illum Animæ etiam à corpore ſeparatæ competere.

10. Deum eſſe Spiritum, ſive Rem cogitantem infinitæ perfectionis; noſtrámque Animam illius eſſe quaſi ſubobſcuram quandam imaginem. Ad D. Chanutum, Epiſt. 35.

11. Hominem Corpore non intelligere. Mentem enim, etſi impediatur à Corpore, ab illo tamen ad intellectionem rerum immaterialium

juvari planè non posse, sed tantummodo impediri. Ad Hen. Regium, Epist. 81.

12. In rebus corporeis omnem actionem & passionem in solo motu locali consistere; nomina autem illa ad res immateriales extendi posse, quando aliquid motui analogum in ipsis consideratur: atque ità volitionem in mente Actionem dici posse, intellectionem verò & visionem Passionem. Ad eundem, Epist. 83.

13. Perceptionem Universalium ad imaginationem non pertinere, sed ad intellectum solum, qui Ideam ex seipsa singularem ad multa refert. Ad eundem, Epist. 88.

Supersunt multa alia quæ huc faciunt tum in Epistolis tum in Tractatu de Affectibus; quæ tamen lubens prætereo, nè sim infinitus. Addo duntaxat, nullatenus esse verisimile tam purum & defæcatum ingenium, tantâ modestiâ, humanitate morúmque integritate stipatum, in tam sordidam foveam fœtidúmque barathrum incidere potuisse.

19. *Insignem solummodo Naturæ peritiam eum Atheismi reddidisse suspectum.*

19. Nihil igitur restat, quod sciam, ob quod Cartesius Atheismi suspectus esse possit, nisi quòd meritò audiat omnium Philosophorum præcellentissimus. Est enim fanaticum quoddam genus hominum, qui quantò quis sapientior sit Naturæque consultior, tantò eum semper autumant ab omni Religione alieniorem: quasi quantò quis imperitior sit & stolidior, tantò magis ad Dei cultum foret idoneus.

Gentes olim Judæos statuam quandam asinino capite colere finxerunt, magnóque se hoc pacto sperabant eos opprobrio afficere. Pari equidem con-

contumeliâ mihi videntur illi Deum ipsum onerare, qui imaginantur à nullis eum ritè coli posse nisi Onocephalis. Ignorantiam sanè rerúmque insciti am nihil necesse est ad cultum divinum adhibere, sed Innocentiam omni nive ac luce candidiorem.

20. Cætera quæ sæpenumero objici scribis magis toleranda sunt, sed non minùs ridicula. Mente utique emotum fuisse incomparabilem Philosophum ac vertigine correptum. Alluisse ineptulos illos credo ad doctrinam de Vorticibus. Præclarum quidem jocum, & Cartesii obtrectatoribus dignum! Sed urgent seriò, tam inopinata, tam vaga, támque longè petita commenta in Scriptis ejus reperiri, ut in neminem hominem nisi mente captum possint ullo modo cadere. Ecquis enim est, inquiunt, homo sobrius & consideratus qui unquam susciperet ausit rationem condendi Solem, Stellas Planetásque demonstrare? quibúsque Materiæ figuris motibúsque lux singulíque colores fiunt particulatim definire? duram hanc denique opacámque Terram, quam calcamus, lucidam aliquando fuisse Stellam apertè statuere? Verùm nihil diffido quin facilè evincere possim Democritum non insanire, sed populum; nec tam ulli Cartesii dementiæ tribuendum esse quòd tam mira Paradoxa inveneri, quàm aliorum socordiæ & stupori quòd in consimiles cogitationes non incidissent.

20. *Ridicula quorundam obtrectatio, qui eum tanquam vertiginosum mentisque malè compotem consideraut.*

21. Nihil enim in hisce omnibus excogitavit Cartesius nisi quod partim ex obviis quibusdam experimentis, partim ex novis & accuratis tam præsentis quàm proximorum seculorum observationi-

21. *Inventa eius maximè paradoxa cum superis Philosophorum observationibus arctissimè cohærere.*

vationibus & concluſionibus, ſagaci animo admodum proclive eſſet cogitare. Varii enim tum Philoſophi tum Aſtronomi, tanquam inferioris ordinis Operarii, rudera jam ſuſtulerant, materiámque præparaverant ſublimi huic ingenio veréque Architectonico.

Tycho Planetarum orbes ſolidos è cœlo deturbaverat, totúmque eorum ſpatium in fluidum reduxerat ætherem. Aſtronomi & Philoſophi nobiliores plerique omnes doctrinam veterem de Telluris motu à Copernico renovatam uno ore comprobaverant, ipsámque Terram (quippe quam non ſolùm circa Solem ſe gyrantem, ſed etiam, Lunæ inſtar, Solis lumen, ídque in ipſam Lunam, Eclipſibus & Noviluniis reflectentem, deprehenderunt) in Planetarum album communi conſenſu conſcripſerant. Galilæus Solem ſtellam fixam, ſtelláſque fixas tot Soles eſſe ſtatuerat, Jovémque quatuor Satellitibus eum circumcurſantibus, tanquam tot Lunulis, circumſtipatum, Tubo ſuo optico detexerat. Scheinerus immenſo volumine Doctrinam de Solis maculis, earúmque generatione, diſſipatione, motúque circa Solem, Soliſque circa proprium Axem, plenam perfectámque tradiderat. E ſtellis fixis quaſdam nunc majores, nunc minores videri, imò novas prorſus apparere aliquando, mox evaneſcere, multi obſervaverant. Cometas magnitudine terræ pares, vel majores, in Planetarum regione diſcurrere ipſe iterum Tycho aliíque certiſſimis indiciis demonſtraverant. Gilbertus denique non ſolùm virtute;

Mag.

Magnetis summâ arte & industriâ explicaverat, sed, quod caput rei est, ipsam Terram ingentem quendam esse Magnetem argumentis evidentissimis confirmaverat.

22. Dispiciamus, quæso, jam sedulò quàm nec vagas, nec longè petitas conclusiones hinc deduxerit Cartesius, sed obvias & cum dictis probatissimorum Philosophorum Observationibus arctissimè conjunctas. Præcipuum verò Fundamentum ejus Philosophiæ in eo jactum videbimus, quod Perigeum Martis Phasésque Veneris invito Tychoni extorserant, in cœlorum nempe Fluiditate. Quid enim sit esse fluidum optimè intellexit Cartesius, fieríque non posse nisi materia, vehementi motu per omnes ejus partes pervadente, eásque quaquaversùm agitante & disjungente, in minutissimas particulas diffringatur: quarum pars maxima (quicquid in eis exstat assiduis agitationibus & allisionibus detrito) non possunt tempore procedente non rotundæ evadere, nec earum triangularia intervalla non longè minutioribus materiæ particulis, rotundarum formatione abrasis, impleri, nec denique ramenta hæc tam commensurata esse triangularibus rotundarum intervallis, quin eorum major sit copia quàm quæ ad spatia illa implenda sufficerit, ità ut sphæricæ illæ particulæ, quas globulos vocat, huic subtilissimæ omnium materiæ laxiùs possint innatare.

22. *Quomodo ex Tychonica cœli fluiditate primum sumdúmque Elementum collegerit.*

23. Porrò, cùm in confesso sit apud omnes Cœlum non solùm esse fluidum, sed Tellurem cum Planetis circa Solem in liquido hoc cœlo cir-

23. *Quomodo ex Hypothesi Copernicana detexerit Materiam cœlestem circa Solem, ad modum Vorticis, circumrotari.*

circumferri, cúmque legibus Naturæ * repugnet ut aliter vel Tellus vel Planetæ circa Solem ferrentur quàm ipso motu materiæ cœlestis devecti; planè constabat Cartesio, ingentem hanc cœlestis Materiæ molem, in qua Planetæ Telluſque inveniuntur, necessariò circa Solem in gyrum rapi. Cujus adhuc ulterius indicium esse potuit ipsius Solis circa suum axem circumrotatio; quemadmodum & aquarum Vortex festucas & folia suo margine circumvehentium familiare quoddam illius exemplum levéque documentum.

* *Vide Sect. 7.*

24. *Quomodo ex raptu hujus Vorticis Solis Stellarúmque generationem intellexerit.*

24. Postremò, ex hoc raptu Materiæ cœlestis, quem jam fieri deprehendimus circa Solem, ipsum Solem olim fuisse generatum, ab obvio illo plumbi fundâ circumacti experimento non potuit non moneri. Oportebat igitur eum concludere, solidioribus cœli particulis, globulis nempe æthereis, à centro Vorticis recedentibus, subtilissimam materiam, quam aliquantulum redundâsse diximus, eorum locum occupâsse, totúmque illud implevisse spatium, ubi Solem nunc conspicimus; vel, si malles, spatium illud subtilissimâ hâc materiâ isthoc modo repletum nihil aliud esse nisi eum ipsum quem contuemur Solem. Cùm verò observâsset tantam affinitatem Soli intercedere cum stellis fixis, ut utrique in seducem habeant, neutri loco dimoveantur, pronum erat faciléque opus, id exemplum Galilæi, Solem hunc nostrum inter fixas stellas numerare, eandémque productionis modum utrisque pariter attribuere, adeóque universam Mundi visibilis materiam, pro Stellarum

rum numero, in infinitos fere Vortices dispescere.

25. Quibus evictis, continuò illi enotuit intima lucis luminisque natura Stellis Solique communis: in eo utique illam consistere, quòd globuli cœlestes partim suo, partim materiæ subtilissimæ, motu protrusi, versùs oculos nostros premerentur. Cujus rei certissimus esse potuit ex eo, quòd Sensum nihil esse aliud nisi * motûs corporei, certis legibus modificati & in organum ab objecto transmissi, perceptionem ipsi clarè constabat, aliisque omnibus, nisi qui planè stupent, facilè potest constare. Luminis autem naturâ penitus perspectâ, colores ipsi se ultro prodiderunt. Admodum enim illi proclive erat cogitare, si motûs per hos globulos transmissi perceptio sit Lux, variato motu hoc ipsam perceptionem variatum iri. Variatio autem nulla occurrebat tam facilis atque obvia quàm rationum circularis motûs globulorum ad rectilineum: séque hac in re probè divinasse ex prismatis experimento ingeniosè concludebat.

25. *Quomodo hinc Luminis ac Colorum intima natura illi enotuerit.*

* *Vide Sect. 6.*

26. Et quod ultimum illud spectat maximúmque omnium paradoxon, Tellurem scilicet hanc, quam pedibus calcamus tractamúsque manibus, Solem aliquando fuisse Stellámve fixam; certè non pauca sunt quæ eum non modò invitaverint, sed fere coegerint, ita cogitare. Nam etiamnum eam Planetam esse omnes, nisi qui fortè infimi subsellii sint Philosophi, audacter profitentur. Satellites autem Jovis non obscurè indigitabant eum ad instar Solis, qui tot Planetis jam cingitur, lucido solio olim regnavisse,

26. *Quæ Philosophorum Observationes eum invitaverint ad credendum Terram olim fuisse Solem Stellámve fixam.*

viſſe; quémque fulgentem circumluſerant, fideles comites hunc luce caſſum lapſúmque non deſeruiſſe. Unde non levis eum ſuſpicio occupare poterat, Soles Stelláſve fixas in Planetas procedentibus ſeculis mutari poſſe.

Modum autem quo id poſſit fieri facilè intelligebat è maculis Solis, quæ illius faciem aliquando ità obtexerunt, ut calor ejus maturandis frugibus vix ſuffecerit, pavidique mortales ſupremum Mundi fatum imminere putaverint. Cujus triſtiſſimi casûs etiam Virgilius meminit in Georgicis;

Cùm caput obſcurâ nitidum ferrugine tinxit,
Impiáque æternam timuerunt ſecula noctem.

Sed & de facto ſtellas ſoléſve aliquando ità obduci & incruſtari maculis ut omni luce priventur, multiplicique cortice indureſcant, facillimum illi erat augurari ex ſtellis illis novis in Caſſiopea, Cygno, alibíque ex improviſo apparentibus, & evaneſcentibus denuo poſt aliquem temporis lapſum.

Quid autem poſtea hujuſmodi incruſtatis opacíſque globis accidére poſſet, ex natura Vorticum, quam callebat perfectiſſimè, pari facilitate conjiciebat. Probè enim novit, extinctâ ſtellâ languere Vorticem multúmque debilitari, indéque neceſſe eſſe eum ſpoliari & diripi à vicinis Vorticibus ad centrum ejus uſque inundantibus, incruſtatúmque ſidus ab ipſorum fortiſſimo mox abreptum iri: pro ſoliditate autem ſua vel è raptoris manu elapſurum, vel tam propè ad centrum deſcenſurum ut circa Stellam Solémve Vorticis circumcurrere cogatur.

Huic

Huic autem conjecturæ fidem faciebant tum Planetæ pro diverſa ſua ſoliditate intervallis diverſis circa Solem circumrotati, præſertim Jupiter, Saturnus, atque Tellus, (quos olim Soles Stellâſve fuiſſe Lunarum ſuarum ſubindicabat ſatellitium,) tum Cometarum diſcurſus in ſummo Solis noſtri Vortice oberrantium. In promptu enim illi erat divinare ex Cometarum mole ac diſtantia, eos eſſe fixas incruſtatas, ſive Planetas itinerantes, certámque ſedem in Vortice aliquo ſibi quærentes, & ad noſtram Planetarum regionem deſcendere tentantes. Quid igitur hîc faceret homo ingenio ſagaci pariter ac libero? quomodo ſe tot adblandientibus & veriſimilibus indiciis pellectum ab aſſenſu cohiberet?

27. Nec tamen adhuc ad rei apicem pervenimus. E longinquo tantùm hactenus eum monebant illa Phænomena, fieri poſſe quòd Planetæ omnes olim fuiſſent Soles; Cùm verò Planetam hunc noſtrum (Tellurem intelligo) cominus contemplatus fuerit, eúmque Magnetem, juxta Gilberti doctrinam, revera eſſe deprehenderit, nec tamen eum eſſe poſſe niſi ferreis ferróve durioribus corticibus obvolutum; præcipuam verò Magnetis vim in eo conſiſtere, quòd particulæ quædam inſenſibiles tali figurâ fuerint formatæ, ut quæ per unum Magnetis polum intrant per alterum intrare non poſſint, (quod tum ex mutuo Magnetum repulſu polis eorum cognominibus ad invicem admotis, tum ex Magnetici Vorticis veſtigiis in ferri limatura ſignatis, certò illi liquebat;) dictas porrò particulas tam ſubtiles eſſe, ut lignum, vitrum,

27. *Enumeratio quarundam Magnetis proprietatum, generaliſque ex eis Concluſio; Quòd, ſi Terra Magnes ſit, in axe alicujus Vorticis eam olim ſitam eſſe oportuerit.*

trum, aurum, & quodlibet aliud corpus quantumvis solidum, penetrarent; cumque de cœlo etiam illas defluere Polorum Telluris directio ipsi indicârit, maximam verò illarum vim ac copiam circa cœlestium Vorticum axes reperiri, tum formatarum magnitudo tum formandarum ratio persuaserit; formari enim debent ubi materia elementi primi jam lentorem incipit contrahere ob minorem Vorticis motum, (quod proculdubio contingit prope axes Vorticum, maximéque versus polos,) formatæ verò, si quando ab axibus Vorticum multùm divagantur, (cùm majores sint ac segniores reliquis primi elementi particulis,) versùs Vorticum axes iterum retrudi: Cùm hæc omnia, inquam, tam clarè perspexerit Cartesius, res mira fuisset, nisi non tam pellectus quàm coactus apud se agnovisset Tellurem olim in axe alicujus Vorticis positam fuisse, ibique tanquam in loco omnium maximè opportuno magnetismum suum acquisivisse.

Vide Sect. 5.

28. Sed ut ad reliqua argumentorum capita recurramus: Etiam major adhuc illi ità concludendi incumbebat necessitas, quòd universam Mundi aspectabilis materiam, Idque summo cum judicio, in tot Vortices distinxerat, qui duobus tantummodo elementis constarent, materiâ scilicet subtilissimâ & globulis. Globulos autem nullo modo coalescere posse demonstrabat ipsorum figura & glabrities: Materiam verò subtilissimam id posse facillimè, luculenter ostendebant illæ toties in Sole observatæ maculæ. Hujus autem materiæ tantam copiam, quæ in-

28. *Eadem conclusio particulatim tum è Divitiis Terræ Magnetica,*

ingentem Telluris molem componeret, præterquam in alicujus Vorticis centro reperiri, ipſi ſingula ad Naturæ leges expendenti videbatur prorſus impoſſibile.

Neque enim hujus argumenti vim eludere poterat, fingendo duriſſimos illos terræ cortices magneticos revera non eſſe obductos cortices, ſed terram interiorem jam eſſe, fuiſſéque ſemper, partem materiæ ex ſe ſolidam & duram, id eſt, nondum in minutas particulas ab univerſo illo motu, qui tentat omnia, diffractam. Quippé huic commento repugnat tum Telluris mora circa Solem, tum ipſe Magnetiſmus. Si enim tam ſolida eſſet, ex hoc Vortice erumperet protinus, & in alterum injecta ab illo continuò evaderet; & ità in æternum à Vortice ad Vorticem erraret, nec intraret ullum, niſi Catonis lege, ut ſtatim exiret. Sed neque Magnes ullo modo eſſe poſſet. Quomodo enim exiles illæ particulæ magneticæ in tam ſolido corpore foramina ſibi excavarent?

29. Molles igitur aliquando fuiſſe vel interiores Terræ cruſtas clariſſimè illi conſtabat, id eſt, ex minutis quibuſdam particulis coaluiſſe; neque id ſolùm, ſed omnium minutiſſimis. Eam enim particularum magneticarum ſubtilitatem eſſe ab experimentis ante oculos factis intelligebat, ut planè deprehenderet nullum corpus particulis quàm primi elementi majoribus coagmentatum, capax eſſe foraminum tam tenui & delicato artificio efformandorum. Intervalla enim nimis laxa eſſe, particulas autem ipſas nimis duras, nec ſatis fortaſſe latas ut in tortilem illam

29. *Tum è ſubtilitate particularum & foraminulorum magneticorum, illata.*

illam formam terebrarentur; omnémque materiam craſſiori filo ac texurâ conſiſtentem quàm ſit illa omnium ſubtiliſſima, multò inceptiorem eſſe ad recipiendum minutiſſima hæc, & diſtinctiſſimo tamen artificio excavanda, foraminula, quàm rudem querçum vel fraxinum ad imagines Cæſarum pari ſpatii auguſtiâ quâ in gemmis pretioſiſſimis inſculpi ſolent. Quo pacto iterum magneticos Terræ corticeſ ex elementi primi materia conſtare manifeſtò ſibi demonſtrabat. Cujus cùm tantam copiam quæ Terræ condendæ ſufficeret extra centra Vorticum invenire non poſſet, neceſſe erat ut primam Telluris materiam in ipſo alicujus Vorticis axe collocaret, ut hoc modo Planeta Terra vel Magnes eſſe poſſet, poſtquam Sol vel Stella eſſe deſiiſſet.

30. Carteſii indoles modeſta ac ſobria.

30. Si igitur inſaniit Carteſius, ſumma ſanè cum ratione eum inſaniiſſe dicendum eſt. Sed nec eò uſque inſanivit ipſe, nec quiſquam quod ſciam ex ejus ſectatoribus, ut quicquam ampliùs ex tam luculentis indicationibus ſtatueret, quàm quòd ità Natura rerum comparata ſit, ac ſi Terra hæc, cujus incolæ ſumus, olim fuiſſet Sol vel Stella fixa. Vides Carteſii indolem, quàm cauta ac modeſta ſit, quàm undequaque ſolida ac ſobria.

31. Nimium tamen illum indulſiſſe ſuo Genio Mechanico, ſed in immenſum Reipublicæ literariæ commodum.

31. Sed ſi ullubi magnopere culpandus ſit nobiliſſimus Philoſophus, ob illud potiſſimùm eum reprehendendum cenſeo, quòd Mathematico ſuo Genio ac Mechanico in Phænomenis Naturæ explicandis nimium quantum indulſerit. Eam tamen interim agnoſco ſummorum

In-

Ingeniorum felicitatem, ut vel vitia eorum & errores aliquam virtutis ſpeciem habeant atque fructum. Et profectò mihi planè incredibile videtur, niſi ingentem illam ſpem concepiſſet demonſtrandi omnia ferè Mundi Phænomena ex neceſſariis Mechanicæ legibus, eum unquam tot tantáque tentare voluiſſe, aut tentata potuiſſe perficere. Jam verò tam proſperè res ſucceſſit, ut non poſſim non ſuſpicari eum Antiquorum illam ſcientiam quæ ad Naturam ſpectat maxima ex parte reſtaurâſſe. Qua in re ſi rectè me conjectâſſe judicaverit perſpicax & pacifica Poſteritas, reliquæ meæ *Cabbalæ* majorem adjungent fidem. Ubi tamen, uti in parte illa altera Phyſica, deprehendent paucas me tantummodo ſive concluſiones, ſive principia rerum Metaphyſicarum, indigitâſſe; vaſtas autem & hiantes interjacere lacunas, & è ſcriptis Platonicis potiſſimùm implendas, aut ſaltem ab aliquo quem ingenio pluſquam Platonico ſera Fata Mundo exhibuerint: qui Dei rerúmque aliarum incorporearum naturas penitiùs rimando, quíque ſtatus earundem innumeros prorſum retrorsúmq; ſpectando, immenſóſq; illarum circuitus metiendo, qui denique tum ex ſummi Numinis attributis, tum ex propriis immaterialium Ordinum facultatibus, omnia penſitando, ſingulos illos griphos nexúſque, quibus nefarii & malè-feriati homines devotos Religionis cultores irretire ſolent, tam facili operâ ſolverit, ut nihil in poſterum niſi miſera quædam animi anguſtia, niſi deſpicabilis ſtoliditas, aut impotens quædam & deplorabilis ad omnia flagitia perpetranda pro-

cli-

clivitas,& ex perpetratis futuri supplicii anxia & discrucians formido, obicem mortalibus ponere possit, quò minùs præcipua Religionis Fundamenta sincero & inconcusso assensu amplectantur. Quam quidem spem non dissimulâsse, sed eis de rebus verba feciſse quas ipsi fortasse nulla ex parte præstare valemus, agnosco quidem non adeò glorioſum quibusdam videri posse: nihil tamen interim dubito quin sit honestum, ardorem suum ac studium promovendi publicum humani generis commodum obiter monstrâsse, & aliquo saltem modo succedentibus seculis facem prætulisse.

32. Qui nihil sciri posse conquiruntur, non tam opprobrio Philosophiam afficere, quàm suam excusare ignaviam.

32. Quod ad eos attinet quos ob Aristotelis nugas universam Philosophiam vilipendere ais, quique nihil earum rerum de quibus scribunt Philosophi sciri posse securè præsumunt, aut, si scirentur, parùm ad communem vitæ usum conferre; non habeo quicquam quod illis reponam aptius aut accommodatius, quàm quod olim hujusmodi farinæ hominibus regessit Scaliger, *Nullam utique majorem ignaris insciliam parere solere voluptatem, quàm expeditum fastidiosúmque contemptum.* Quanquam profectò ea non tam voluptas censenda videtur, quàm consolatio quædam ac lenitio doloris quem capere possint ex sensu damni proprii rerúmque optimarum jacturæ. Est enim à Natura nobis omnibus inditum satis magnum sciendi desiderium, nec minimam naturalis conscientiæ partem complectitur, nos ad pecudum instar stupidos rerúmque ignaros esse non debere; nec tamen ad impossibilium vel inutilium scientiam teneri. Unde

de manifeſtum eſt eos qui nihil ſciri poſſe tam ſtridulâ voce conqueruntur, non tam opprobrio afficere Philoſophiæ ſpeculationes, quàm ſibi honeſtum quærere prætextum, ſeſéque excuſare quòd luxui, avaritiæ aut ambitioni totam ferè vitam impendant.

33. Aliquid autem in rebus naturalibus ſciri poſſe tam clarè edocuit Carteſius, ut nemo ſit qui de eo dubitet quin de Mathematicis demonſtrationibus eundem neceſſe ſit dubitare. Imò verò, ut liberiùs dicam, excuſsâ hâc injuriosâ modeſtiâ ac ſepoſitâ, ſi intra communes utriuſque Philoſophiæ limites nos contineamus, tantundem ſciviſſe Carteſium ſtatuere oportet in inveſtigandis Naturæ cauſis quantum ignoravit Ariſtoteles. Neque enim judicandum eſt quid in Philoſophia fieri poſſit à ſevero ac ſagaci ingenio, ex eo quod jam præſtitum ſit ab homine arguto ſanè, ſed parùm ſolido, ut qui nè prima quidem veræ Philoſophiæ principia invenerat.

33. *Aliquid ſciri poſſe in rebus naturalibus Carteſium clarè edocuiſſe.*

34. Sed demus, inquient, Carteſium vera illa Principia inveniſſe, cauſáſque effectrices omnium Phænomenωv naturales & immediatas, quas neſcivit argutus ille Græculus, in lucem eruiſſe, quid iſta ad vitæ uſum faciunt? Si per uſum vitæ intelligunt honores, opes, corporiſque voluptates, non multum eò facere lubens fateor: interim tamen contendo, in vera Philoſophandi ratione reperiri aliquid honoribus multò excelſius, pretioſius opibus, & univerſis denique corporis voluptatibus ſuavius longè longéque jucundius. Qui autem quæ ad mentem ornandam, paſcendam,

34. *Qui ea quæ ad mentem excolendam inſerviunt nihil ad vitam* humanam *conferre ſtatuunt, aperte profiteri ſe degere* belluinam.

dam, & divino quodam gaudio exhilarandam, conducunt, ad humanam vitam nihil conferre existimant, næ illi mihi videntur se mentem habere penitùs oblìti, apertèque profiteri vitam se degere prorsus belluinam.

Vale, *V. C.* & si fortè fusiùs ac liberiùs quàm par erat apud te de his rebus differui, nimium hoc tibi obsequendi studium ignosce, méque, prout soles, amare perge.

H. M.

ERRATA.

Præfat. secund. p.3.l.10. lege, *excepta*. l.29. leg. *pervolvitur animus*. p.4.l.22. leg. *Materiæ*. p.16.l.15. leg. *in luere*. Lib. pag.175.l.27. leg. *in Virtutis studio*. p.176.l.19. leg. *quæ*. p.217. vers.4. leg. *replens liquidè*.